DE

MORBIS IN SACRIS LITERIS

PATHOLOGIA.

D. VICENCIO MOLES,

MEDICO REGIO

AVCTORE.


EX

Marco Tullio Cicerone Eloquentiæ Romanæ Principe.

Nullam enim Virtus, aliam Mercedẽ laborũ, periculorumq; desiderat, præter Hãc L[illegible]IS, & GLORIÆ. Qua quidẽ detracta; quid est, quod in hoc tam exiguo VITÆ curriculo, & tã brevi, tantis NOS in laboribus exerceamus?

Ita

In Oratione pro Licinio Archia Poeta.


DE MORBIS
IN SACRIS LITERIS
PATHOLOGIA
EDITA
A D. VINCENTIO MOLES, Regiæ
Majestatis PHILIPPI IV.
Medico.
Ad Illustriss. et Excellentiss. Dominum
D. PHILIPPVM FRANSISCVM ALBERTVM
Principem Arenbergiæ, Ducem
Arschotanum, etc.
Cum Priuilegio.
Ex officina Joannis Sançij Typographi.
Matriti. Anno. MDCXLII.
Sumtibus Roberti Laurentij Bibliopolæ
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ILLVSTRISSIME AC EXCELENTISSIME PRINCEPS, ET DOMINE.



HÆREditario Iure, Hæc mea Pathologia circa Morbos in Sacris Literis contentos, tuo præclarissimo ac benignissimo, & Nomini, & Numini inscripta, imò consecrata videtur. Nam cum Primos mei Calami Sudores, de Philosophia Naturali Sacro-Sancti Corporis Christi (bono Omine nuper ex magna illa Plantiniana Officina Editos) sub tui Invictissimi Patris amplexu, accipiet Posteritas; congruum mihi visum fuit, vt Secundarius præsẽs Labor, Primi illius Fratris vestigia debita sequeretur. Nũ cui potius quam Tibi, hæc Munera debentur? Tibi Inquã; Quia vt Consularis ille Vir Claudianus de Suo Stilcone, in Panegirico Tercio præcinebat;

Non sic virginibus Flores, non Frugibus Imbres,
Prospera non fessis optantur Flamina Nautis,
Vt tuus Aspectus Populo.

Nam cum multoties, vtriusque Testamenti Sacrum Volumen perlegissem, & quamplurimos Relatos (non sine Stupore) in illis pariter ac extraordinarios Morbos, & Affectiones Lethales, inuenissem, latum mihi campum meditandi præ oculis fuit, similiter atque scribẽdi. Hinc ad præs-

cru-

crutandos, omnium Facultatum Principes, præcipuè Theologos, tam Positiuos quam Scolasticos, Bibliæ Sanctæ Interpretes, earumque Paginarum Expositores, nec non Medicinæ Magnates tum Græcos, tum Arabes, tum Latinos, animum euolui. Et quamuis mirificè, acutè, doctè, Omnia a Scripturarijs prælibata recognovi; tamen quia in aliquibus multa desiderantur, pro Affectibus ad Medicam Artē spectantibus; nam diminutas (tāquam alienigenæ Messis) reliquerunt Expositiones; ita vt maiori declaratione, digestione & interpretatione, indigere mihi vissum fuisset; illos supplendi ex propio Marte, Prouinciam perdificilem susce pi. Magno, insuperabiliquecum labore Sacra Testimonia deprompsi, Affectionesque morbosas in eis contētas, Philosophicis, ac Medicis ornamentis lustraui, vt Theologus proprijs Medicis Locutionibus, et vt Medicus proprijs Theologicis Testimonijs vtatur. Te nunc Dioscorum, Te Tutelarem cupio: vt sub tuo Diuino illo florido Nespilineo Clypeo, mea armata Pathologia, ad Calumniæ, Inuidiæque Palestram prodeat, & in Arena Furentis Circi, lasciuientis Scenæ, spinas arceat, mordacitatemque vndequaque dissipet. Accipe Munus, & pro tua Celsitudine & Dignitate recipe. Nam vt Eumenius Rhaetor, pro Scola Augustodensi aiebat Inter omnia quæ virtute Principum ac fœlicitate recreantur, sint licet fortasse alia magnitudine atque vtilitate potiora, nihil est tā admirabilius, hac liberalitate, quam fouendis, honorandis ve litterarum Studijs impartiunt. *Hinc est quod Athenien-*

si

fis Humanitas, *Aram Misericordiæ Instituit*. *Sic tuus Litterarum ingenitus Amor*, *Ædes Doctrinæ in Magnifica Beneuolētia circa Studiosos ita constituit*; *vt de Te potius*, *quam de suo celebrato Heroë*, *illa Plinij Minoris*, *in Epistolis*, *Elogia interpretentur*. *Quia pulchiori modo* Colis Studia, Studiosos amas, foues, prouehis, multorumque qui aliqua componunt, Portus, Sinum, Præmium, Omnium Exemplum, Ipsarumque Litterarum, iam senescentium, Reductor ac Reformator. *Absit Adulatio*; *&* *vt Cassiodori verbis vtar*, *libro* Primo, *epistola Quadragesima secunda exaratis*, *dicam*, *Quod*, Cuncta siquidem vnde Famam captat Humanitas, in te geminata sederunt: Patria, Genus, Instituta præclara. Quorum si vnum Nobilitatem complet, in te collecta Plus facient. Qui nō minus Genitalis soli Fortuna resplendes, quā Gloria Stemmatis & Virtutis ornaris. De *virtutibus tuis aliqua iā extant*. De P*atria sufficient pauca*. *Nam te* M*auortia illa Belgarum* P*rouincia*, *Filium*, P*atrem*, *Alumnum*, *Decorem &* *Spem adorat*. De *Stemmate Gentilitio tuo*, P*otiora ex Antiquis*, *nec non Recentioribus prælibabo*, *qui tuorum* Maior*um*, *Originem Ascendentiam*, *Lineamque longissima Auorum serie a peruetustis sæculis*, *vsque ad* No*stram Ætatem deduxere*.

Et vt P*rimos Hunnorum Duces*, P*rincipes*, *Reges*, *Heroes*, *qui pricipium tuæ Familiæ dedere*, *leviter percurram*; *omnes Hungarici Scriptores conueniūt*, *quod a Mundi-*

dicico Hunnorum Dynasta; nati sunt fortissimi Duces Chemes & Buda; nec non ille Magnus Atila, qui Dei Flagellum nominatus, Hunnorum Coronam assumpsit, anno Salutis cccci. & ex Herriche Imperatoris Honorij Filia (cum qua Nuptias celebrauit Atila) vnicum tantum ex legitimo Thoro natum Chabam suscepit. Chabas autem Hũnorum Dux, ex Nobilissima Fœmina, Magnæ illius Corarmanorum Stirpis, oriunda, Edonem Schytarum Regem Filium habuit. Ex illo natus est Vegecus Rex, Pater Elendi, Cuius Filius Almus, superbi Atilæ Gloriæ æmulus, Patriam Schytiam dereliquit, vbi in Pace Aui consederunt. In Pannoniarum confinijs mortuus, successorem sortitus est Arpadum, Hunnorum in secunda Transmigratione strenuissimum Ducem; qui Pannonias penetrauit, Anno Christi Dcc xlįv. vbi sedem fixit Auito in Regno Posthliminio restitutus, Medijs Ferro, Armis, Igne, & Sanguine. Huic Fundamenta Imperij Hungarici debentur. Zolthanus Arpadi Filius in Hunnorum Diademate (tunc Ducali tantum) Iure Hæreditario successit. Cui Toxis, nomine, Primus: qui Filios reliquit Geisam, & Michaelem. Geisa Ducatum Hunnorum adeptus, a Leopoldo Illustri, Austriæ Marchione vinctus, anno Dccccxcvij. vitam cũ Morte commutauit, Toxi secundo Filio Relicto ex Adhelaida Poloniæ Principe. Toxis verò Euangelij Fidem amplexus, & in Baptismate Sthephanus vocatus, Apostoli Hungariæ cognomen meruit. Vnde Reges Successores eius Apostolici nominantur. Nam cum

Ste-

Stephanus.Hungaros ad Catholicam perduxisset Fidē, Pontifex Romanus, ei Facultatem dedit, vt Crux ante Regem tanquam Apostolatus Insigne *gestaretur, cū hoc Elogio, vt Chartuitius in eius Vita refert.* Ego sum Apostolicus. At ille meritò Christi Apostolus dici potest, cuius operâ, tantum Populum sibi Christus requisivit. *Propter hoc Hungariæ Reges Crucem Pathriarcalem pro Insigne Regio in Clypeis gestant. Otto Imperator Tertius, Regem Hungariæ Stephanum creavit, qui ad Meliorem Purpuram sine Liberis evolatus Anno M.XXXVIII. in Sanctorum Catalogo descriptus fuit Anno M.LXXVIII.*

Corona, verò, Hungarica ad Michaelis, Toxis Primi, Secundogeniti, Lineam devoluta est. Nam Michael Hungariæ Princeps, Filium habuit Vaculum, qui dum Hæres à Sancto Stephano constitutus esset, à Gisela Regina obcæcatus fuit. Vladislaus, cognomento, Calvus, Vaculi Filius, in Poloniam fugiens, vxorem duxit Leventam, ex Regali *Russiana Prosapia ortā. Ex qua Filios sumpsit Andream Primum, qui Hungariæ Regnum occupavit; & Belam Primum, qui Fratre Andreâ sine Sobole extincto, ad Solium Regium assumptus est. Nupsit Bela, Rixæ Miecislai Secundi, Poloniæ Regis, Filiæ, ex qua Geisam Secundum suscepit, multorum Filiorum Patrem. Ex illis Almus Primogenitus, violenter, inhumaniterque à Fratre minori Colomanno, in Thraciam deportatus est, Sceptro, pariter atque Luminibus privatus, anno M.C.XIV.*

Tamen eius Filius Bela Secundus (cognomine Cæcus) in Regnum miraculosè restitutus, Geisam Tertium progenuit, ex Vxore Helena Græca, Vri Augustalis, Comitis seu Præfecti Macedonici Filia. Geisa Tertius (Fratribus Vladislao Secundo, & Stephano Quarto Hungariæ Regibus, absque Prole Fato functis) in Hungarorum Regem vnctus, Vxorem accepit, Filiam Ducis Haliciæ; & ex illa Stephanum Quintum, & Belam Tertium, in lucem emisit. Mortuo Stephano, Regnavit Bela Frater, qui Haliciæ Regnum, cum Dalmatiæ, Croatiæ, & Hungariæ Regijs Fascijs copulavit. Cum Maria Augusta Cōnena, Emanuelis Comneni Orientis Imperatoris Filia, primas, & cum Margaretha Ludovici Septimi Galliarū Regis Filia, secundas Nuptias celebravit. Ex Comnena Emericum Primum, & Andream Secundum tulit. Emericus in Regno Paterno Succeßit, & illi Vladislaus Tertius, Filius. Atamen Vladislao sine Masculis orbato, Corona ad Andream Secundum Avunculum devenit. Andreas Secundus Hyerosolimitanus appellatus fuit, eo quod Expeditionem seu Bellum Sacrum in Palestinam sumpsit, vbi de Babilonico Monarcha triumphavit Anno M.CCXVIII. Ex prima Coniuge Gertrudi (Bertoldi Quarti Meraniæ Ducis Filia) Belam quartum Hungariæ Regem, & Andream Principem genuit. Ex Bela omnes Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, & Haliciæ, Reges, vsque ad Ferdinandum Tertium Invictißimum Cæsarē qui nunc fæliciter Regnat, proceßere. Ex Andrea Belæ

Fratre, Arschotani Ducesseculus Familiæ Tu Princeps, Caput, & quod Hispanicè Pariente Mayor *dicimus, existis) Originem habuerunt; vt diffusè narrantur Omniũ Secalorum Genealogistæ Scriptores.* Præcipuè Antonius *Bonfinius in Historia de* Rebus Hungaricis, Pontus Heuterus *in suis Genealogijs, Ioannes* Schoyerus *in Genealogia Domus de Croy, Aubertus Miræus Decanus Antuerpiensis in Chronico Belgico,* Hieronymus Henninges, *in Theatro Genealogico, Scævola & Ludouicus de* Sancta *Martha in* Historia *Domus Galliæ. Qui omnes loquuntur de Ducibus de Arschot, & de Croy, Principibus de Chimay, Marchionibus de* Haurco, *& de* Renty, *Comitibus de* Porcean, Roeux, Solre, *Dominis de Sarmpi, de Crecque, de Thou, de* Cauroy, *& de Ferrieres: omnes ex macula linea* Croyensi, *Viri; præter multiplices Europæ præilustres* Familiæ, *qui ex Filiabus originem sumunt; quas novissimè & exactissimè cõgerit, Dominus Iosephus* Pellicer *de Tobar, Primarius, siue Maior* Regis *Catholici Philippi Magni,* His*paniarum* Cronographus, *In sua Corona* Habsburgi *Austriaco-*His*pana, seu* Historia *Augustissimæ Austriacæ Domus, quam Voluminibus Quatuor ad Prælum præparatam habet, mihique humanissimè (vti omnibus solet,) Exemplar Doctissimum, probèque sudatum obtulit.*

Omnes vniuocè conueniunt, quod Andreas Hun*gariæ* Princeps, *(Matre Gertrudi mortua fraude Banchani Bauari,* Marito *Andræa* Rege *in Asiatica Expe-*

ditione detento Anno MCCXX.) Venetijs fugit, Vbi cum Sybila Cumana, Petri Cumani Ditissimi Potentissimique Senatoris Filia, Matrimonio coniunctus est. Illa Filium Marcum ab Hungria cognominatum peperit; qui Copijs & Pecunijs Paternis, Dives factus, Omnia Bona in Galliam transfretavit, impatiens Vitæ priuatæ Reipublicæ Venetæ. Philippus Tertius Francorum Rex, Illum in sua Protectione benignè recepit; deditque ei in Vxorem Catherinam, Vnicam Filiam, ac Hæredem Baronis de Croy & Arain; tali Pacto, quod Primogenitus Hungariæ Insigne, Cognomenque gestaret; Baroque de Arain vocitaretur. Secundogenitus autem Baro de Croy nominandus esset, cui Cognomen & Signa de Croy in perpetuum minerent. Habuit Marcus binos liberos; quorum Primus Ioannes Baro de Arain sine Prole fato functus, Hæreditas ampla ad Fratrem Guillielmum, de Croy Baronem, pervenit; in cuius Nepotibus nomen & Facultates permanent. Guillielmus autem, cum Anna (Arnoldi Comitis Guinæ Filia) Maritatus, in Dotē cum illa Burgravviatum de Gravelingas & Borborg in Belgijs accepit. Ex illis natus Ioannes Primus fuit, Baro de Croy & Arain, qui ex Ioanna de Arain Vxore, Antonium Primum Baronem de Croy & Arain, Burgravvium (id est Comitem) de Gravelingas, & Borborg, genuit. Qui Antonius, cum Margaretha Suessonensi Morelli Domina copulatus, Vnicum tantummodo Filium Iacobum de Croy derelinquit. Nupsit Iacobus Mariæ de Piequeniac (Vidamis de

Am-

Ambian Filiæ) anno Mcccxiij. Ex Cuius Hymæneo processit Guillielmus Secundus, fat ultatum Avorum Hæres, Qui anno Mccclįv. Vxorem accepit Elisabethã, Vnicam Andreæ Baronis de Rentij, & de Seninghem Filiã. Eorum Liber Ioannes Secundus, Baro de Croy & Araain, à Gallicis Scriptoribus nominatus est; nec non Dominus de Rentij & de Senninghem, Burgravvius de Gravelingas & Borborg, Guinæ Comes, Magnusque Galliæ Magister, seu Maiordomus, Regnante Carolo Sexto: Etiãque Magnus Philippi Audacis, Burgundiæ Ducis, Chãbellanus, Picardiæ & Bononiæ Gubernator. Obijt anno Mccccxv. in conflictu de Azincourt vocato. Ex Margaretha de Craon, Domina de Dompmard & de Clacy; Vidamesa de Laonois, Vxore, Decem & octo Vtriusque sexus Filij procreati sunt. Ex illisque variæ, atque illustrissimæ Familiæ ortæ, Croyana Stirps, valdè & fæliciter propagata fuit.

Ille verò, qui tuam (Excelentissimè Princeps) Lineam, seu Brancham (vti Neoterici vocitant) vsque ad præsentem Ætatem continuat, Antonius nomine Secundus fuit, ad quem Primogenitura pervenit, cum Baronia de Croy, & comitatu de Porcean. Sortitus est Thalamum Margarethæ Lotharingiæ, cuius Pater Antonius Vaudemontij Comes, in Dotem ei propinauit Arschotanum Statum, in Ducatu Brabantiæ. Septem Filiorum Primogenitus ac Successor Philippus de Croy, Iacobam de Luxemburg, (Comitum Sancti-Pauli in Gallia Filiam) Vxorem

me-

meruit. Liberos genuit, Henricum Primum a quo Arschotani Duces; & Guillielmum de Croy Aurei Velleris Equitem, Soriæ in Hispania Ducem, qui Gratiam (vulgò Privança) Invictissimi Diui Caroli Quinti Maximi obtinuit, & à Nostratibus Mos de Cheures nominatur. Obijt tamen sine Prole. Henricus autem de Croy Frater, Primus nomine, Coniugio ligatus fuit cum Carolina de Chasteau-Briand Baronissa de Loigné, Septem Liberorum Matre. Inter quos Philippus Secundus omnes antecessit, & postea Guillielmus de Croy, Episcopus & Dux Cameracensis, qui in Sacro Cardinalium Conclavi adoptatus, tàdem Archiepiscopus Toletanus, Hispaniarumque Primas obijt Electus. At verò Philippus Secundus, Aschotanorum Principum Progenitor, cùm in Patris Hæreditate successisset Anno MDXX. Primus Dux de Arschot, Marchio de Rentij, à Domino Carolo Maximo creatus. Ex Anna de Croy, Consanguinea Principe de Chimay (trium Vxorum Prima) Philippum Tertium genuit. Qui (mortuo sine Prole, Carolo Fratre Primogenito) ad Patris Hæreditatem vocatus est; Ducatumque Arschotanum, Principatum de Chimay, cum reliquis Ditionibus dum frueretur; ex Ioanna de Hallvvin prima Coniuge, (Ioannis de Hallvvin Domini de Cemines, Hærede & Filia) Carolum, Annam, & Margaretham procreavit. Carolus Dux de Arschot, sine Liberis denatus fuit anno MDXC. Margaretha Vltima natu, Petro de Hennin Comiti de Bossue, nupsit. Vnde Hæreditates

 & Di-

& Ditiones omnes, ad Annam de Croy pervenerunt: Lineaque illa Mascula, iam per tot Sæcula, in tres & triginta Generationes continuata defecit.

Fuit, autem Anna Ducissa de Arschot, Princeps de Chimay, & de Porcean, Marchionissa de Rentij, Comitissa de Beaumont, & de Senninghem. Magnæ Hæroinæ, Magnus decebat Sponsus. Talis fuit inter Varios Proceres, ad Illius Thalami destinatus; Excellentissimus Avus tuus, Carolus de Ligne Comes & Princeps Aremberghiæ, & Sacri Romani Imperij; qui Patres habuit Ioannem de Ligne Baronem de Barbanzon, & Margaretham de la MarcK Aremberghiæ Principem Hæreditariam. Hinc natus fuit Illustrissimus pariter, ac Excellentissimus Pater tuus, (Heu quondã Benefactor meus!) Dominus Philippus, Dux Arschotanus Quintus, Princeps, Inclitus, Maxumus, Liberalis, & omnimoda Virtute Præditus. Eques Aurei Velleris, Belgiæ totius Gubernator. Vir in tantum Laudandus, in quantum Virtus intelligi potest; vt cum Paterculo Libro Primo Historiæ loquar. Sed potius Diui Isidori Pelusiotæ verba ei conveniunt, quia fuit. Omninò Moderationis Delubrum, Domicilium Prudentiæ, Fortitudinis Arx, Metropolis Iustitiæ, Humanitatis Penu, Mansuetudinis Sacrarium, & Vno Verbo Virtutum omnium Thesaurus. Obijt Mantuæ Carpetanorum, non sine Magno Bonarum Litterarum, totiusque Militaris Disciplinæ Mærore & Dispendio Anno M.DCXL.

Vxo-

Vxorem habuit **Excellentissimā pariter, ac Pientissimam D. D.** *Hypolitham de Melun*, **Filiam Petri de Melun** *Principis de Espinoy, Marchionis de Roubais, Baronis de Antoing, Vice Comitis Gandavensis, Hannoviæ Seneschalis, & Hipolithæ de Montmorantij eius Secundæ Vxoris.* Hæc fuit *Philippi dignissima Coniux*; Non *sicut Plutarchus de Gamma præcantabat*, formę duntaxat præstantia, & ætatis flore, Spectabilis, sed multò magis ob Virtutem in admiratione habenda: nō enim pudica modo, & mariti amans, sed & prudens, & magnanima, ac propter mansuetudinem, benignitatemque, Subditis mirificè accepta.

Tales Parentes habuisti Princeps Celsissimè. Sed quid moror, in tuis exaltandis Progenitoribus. Accedam, ad propriam, veram, ac nativam laudem tuam cum Ovidio.

Nam Genus, & Proavos, & quæ non fecimus ipsi,
Et Bona fortunę, vix bona nostra puto.
At bona nostra voco, pulchræ Virtutis honores,
Doctrinæ laudes, Ingenijque Decus.

Quia (vt Tullius in Secundo Libro de Oratore, Scriptum dedit) **Genus, Forma, Vires, Opes, Divitiæ, Cæteraque quæ Fortuna det, aut extrinsecus, aut Corpore, non habent in se Veram Laudem: quæ debere Virtuti Vni putatur. Sed tamen quod ipsa Virtus, in earum rerum vsu ac moderatione, maximè cernitur, tractanda etiam in Laudibus hæc** sunt

sunt Naturæ, & Fortunæ Bona. *Qualiter tu Omnia ista tractes, notum est. Fama loquitur. In me supervacaneum erit talia recitare. Quid dignum tua modestia dici potest? Quid Singulari tua Moderationi? Silentium plus loquax erit quam Verba. Symachus inquit, quod superforanei laboris est commendare Conspicuos, vt si in Sole positis Facem præferamus, & accensu luminum claritudinem Diei gestiemus adiuvare. Vnum tātum mihi deest; vt Tu infæcundam, incomptamque meam Pathologiam, sine Venustate, sine Elegantia à meo paupertino Ingenio conscriptam, protegas, & à cuniculis Invidiæ liberes. Tunc cum Martiali Bilbilitano nostro Libro Quinto Epigrammatæ Octuagessimo Primo, dicam vt.*

Plus multò Tibi debiturus est,
quam debet Domino suo Libellus.

Nam in Lucem prodijt (O vtinam faustis Auibus!) fertili Medicorū tam Sæculo; vt rectè videtur Quercetanus dixisse; quod Si Hippocrates, vel Aristoteles, vel ipse etiam Galenus, nun revivisceret, obstupesceret, certè tot Ornamētis Artē hanc adauctam, atque illusstratam, tot Nouis inventis ditatam, tot mirificis Operationibus confirmatam. *Dabam Matriti In Nostro Musæo Calendis Aprilis. Anno M.DC.XLII.*

Tuæ Excellentiæ.
Adictissimus.

D. Vincentius Myles
Medicus Regius.

§§§ *CEN-*

CENSVRA.

Doctissimi Patris Hieronymi de Gueuara Societatis IESV.

IVSSV D. Laurentij de Iturrizarra Generalis Vicarij in hac Matritensi Curia perlegi Librum scriptum à D. Vincentio Moles Regio Medico, in scriptum *Pathologia circa Morbos & alios Affectus praeternaturam in Sacris Literis relatos.* Quod quidem opus nihil mihi, aut Sacrae paginae oppositum, aut fidei aduersum, aut optimis Christianae disciplinae virtutis, praeclarisque moribus dissonum obiecit. Quinimò inueni illud studiosè digestum àprime elaboratum eximijs Philosophiae documentis instructum, & Sacrae paginae abstrusis locis splendidam facem praeferens, manus in eo anne inter se conferentibus, & iuditij maturitate, & ingenij dexteritate, & quod Actorem suum ostendit, probatque dignum, qui triplici, & Philosophiae, & Medicinae, & positiuae Theologiae Laurea insigniatur. Ob quae sub prelo premi, & in lucem plurium eruditioni, voluptati plurium prodire promeretur. Ita censui, in hoc Societatis IESV Imperiali Collegio 26. die Martij, Anno 1639.

Hieronymus de Gueuara.

NOS El Licenciado Lorenço de Iturrizarra; Chantre de la Iglesia Magistral de la Villa de Alcala de Henares, y Vicario General de la villa de Madrid, y su partido, &c. Por la presente, y por lo que a nos toca, damos licencia para que se pueda imprimir, y imprima el libro intitulado *Pathologia de morbis, & alijs Affectibus praeternaturam Relatis in Sacris Literis.* Atento somos informados, que en el no ay cosa contra nuestra santa Fè y buenas costumbres. Dada en Madrid a veinte y ocho de Março de mil y seiscientos y treinta y nueue años.

Licenciado Lorenço de Iturrizarra.

Por su mandado. Iuan del Campo.

In

In Librum Doctoris Vincentij Moles, Patho'ogica Inscriptum Censura Doctoris D. Didaci de Ayarra Prasbiteri Vicarij perpetui Parrochialis Ecclesia Oppidi de Valtierra, apud Nauaros Theologi, & huius Regia Curia Medici.

CVM Demandato Regalis, & Supremi Consilij, opus à Doctore Vincentio Moles Medico Regio conscriptum ab ipso, (Pathologia circa morbos, & alios affectus præternaturam in Sacris Literis Contentos) nuncupatum, accurratè perlegerim ac maturo animo deuoluerim; duos præcipuè in ipso operis limine Scopos elucescere inueni: quorum alter corporis alter vero animæ mæderi cònatur languoribus, dum ex Sacris Paginis sacra dogmata, & ex Apollinario Pharmaca scaturire conspicio. Sane cum vtriusque hominis morbis interioris, exteriorisque prospiciat, homini, qui animarum, & corporum salubritati simul incumbit, diuersis nempè Medicinæ, & Theologiæ Laureis insignito, iussio atulit examini subijciendum. Vidi, & sedula lucubratione qua potui animi cura voluptateque vniuersum opus perlustraui, in quo non solum quidpiam Fidei dissonum, Moribus infestum, & Reipublicæ incommodum haud quaquam apparet, imò in Sacris Literis exponendis Sanctorũ Patrum vestigia, in Medicis Hipocratis, Galeni, Auicenæ, aliorumque Doctorum mentes assequtus; Theologis Medicinæ, & Medicis Theologiæ, iter pandit; & lumen ostendit; dum terrena Cœlestibus, & ima Sumis sociat, & coniungit: vt se multiformis gratiæ (vt ait Apostolus) multiformem dispensatorem præbeat, non sibi sed alijs consulere intendens. Ex vtriusque namque Theologiæ, & Medicinæ florentibus viretis fragrantes flosculos colligens, Librumque conficiens Theologi, & Medici simul apprimè personam gerit; adeò enim dicendi acumine, ex-

ponendi subtilitate, & verborum grauitate vtriusque obiecta in vnum confluunt; ac se miris nexibus amplexantur in vno opere, vt de ipso posit concinni cum Regio Psalte; Abyssus Abyssum innocat in voce cataractarum tuarum, idest, sacræ doctrinæ scaturientibus Riuulis (vt exponit Diuus Antoninus) qua propter Typis mandari, prelo premi, & in lucem proddi pro Reipublicæ, & omnium commodo posse, & debere censeò. Matriti tertio idus Augusti, Anno Domini millesimo, sexcentessimo, trigessimo nono.

Doctor D. Didacus de Ayarra.

CEN-

Reverendissimi Patris Fratris D. Francisci Dominguez, Augustiniani, olim Salmanticensis Cathedræ Theologiæ Professoris, nunc Electi Episcopi Cotronensis, & in Collegio Matritensi, Incarnationis (vulgo D. Maria de Aragon) Rectori.

DE Mandato Supremi Senatus, vidi Librum D. Vincentij Moles Regiæ Maiestatis Catholici Medici, cui titulus est, *De Morbis in Sacris Literis Pathologia*, quod multiplici variaque est eruditione refertum. Nihil continet quod Catholicæ Fidei aduerse tur, Dignum iudico, vt Prælo mandetur. Datum in hoc Matritensi Augustiniano Collegio 4. Septembris, anno 1639.

Fr. Franciscus Dominguez Electus Episcopus Cotronensis.

SVMA DEL PRIVILEGIO.

TIENE Priuilegio el Doctor Vincencio Moles Medico de su Magestad, para imprimir vn libro Intitulado *Pathologia Circa Morbos in Sacris Literis Contentos.* Como mas largamente consta del priuilegio original, i sò las penas en el contenidas, firmado de su Magestad, i refrendado de Antonio de Alossa Rodarte su Secretario. Su data en Madrid a cinco de Setiembre de 1639. años.

FEE

FEE DE ERRATAS.

Del Corrector General de Libros por su Magestad.

FOl.2.Cutellis,lege Cultellis,fol.5.Refcit, lege Reijcit, fol.28.Paulus à Gineta, lege Paulus Ægineta. fol.29. & 51, dicas,lege etsi dicas,fol.58. Olofernes; lege O'ophernes, fol.77. Oloferni, lege Olopherni, fol.130. Mexera, lege Megera; fol.131. Massariam, lege Massarium. Ibidem Pasqualem, lege Paschalem, fol.143. Origenem, lege Originem,fol.157. Dele Syllabam duplicatam, Vel Dim.fol. 159.Vebequerij,lege VbeKerij,fol.168.Cibri,lege Cribri,fol. 157.hienæ,lege Hyenæ,fol.183.subiectum esse, lege subiectum esset,fol.187.Obtalmi,lege Obtalmij,fol.192.India, lege Indie,fol.197. laborosius, lege laboriosius, fol.203. CAPVT. XXXI. lege CAPVT XXXVIII.fol.228. Dilasserat, Lege Dilacerat,fol.229.Nam immutatur, lege Non immutatur, fol. 236 Annoros,lege Annos,fol.249 Phlilosophandis,lege Philosophandis,fol.251.Superficie,lege Superficiem,fol.272.Proprisimè,lege Proprijssimè,fol.276.Sydrops, lege Hydrops, fol 278.sanguisicandi,lege sanguificandi,fol.280. Famis, lege Fames,fol.281.conveniunt,lege cenveniunt,fol.296 Symthoma,lege Synthoma,fol.302. langorem, lege languorē,fol.323. Imbicillitate,lege Imbecillitate,fol.333 Nocivus, lege Nocivis,fol.341. secumdum,lege secundum,fol.342. Intrase, lege Intra se,fol.344.iniuvenil,lege in iuvenili.

Liber hic nomine inscriptus, *de morbis in sacris literis Pathologia*, demptis his mendis respondet fideliter suo exemplari. Datum Matriti,die 31.Mensis Martij. Anno 1642.

D.D.Franciscus Murcia de la Llana.

SVMA DE LA TASSA.

LOS Señores del Consejo Real, tassaron este libro a cinco marauedis i medio,como consta de su tassa, despachada en el oficio de Francisco de Espadaña,escriuano de Camara de su Magestad. Su fecha en *Madrid* a primero de Abril de 1642. años.

LECTO-

LECTORIBVS MEIS VNIVERsis, & Singulis.



HISPANVS Galenus (vellit nollit inuidia; ita à Nationibus multis appellatur) Franciscus (inquam) Vallesius, vir maximus in Philosophia, Medicina, & cœteris Naturalibus scientijs doctus Doctor, Librum (inter multos) sui ingeni singularis, scriptū, cuius titulus est. De his, quæ phisicè sunt scripta in sacris Literis, siue de Sacra Philosophia reliquit. Cuius doctrina non solum Medicis, & Theologis, sed multis alijs hominibus, qui desiderio scientiarum sunt affecti est vtilissima. Quamuis ex intento non agit de rebus præter naturam in sacris Literis relatis, tamen quasi per transellam de aliquibus morbis, vt cæcitate, leprà, scabie, & alijs huiusmodi, qui ad numerum paruum extenduntur, mentionem facit. Leuinus Lemnius vir valde eruditus Librum, suæ perspicacitatis dignum de Lapidibus Sacræ Scripturæ scripsit. Cōplutensis ille Doctor Ioannes Bustamantinus de la Camara de Reptilibus, siue de Animantibus Sacræ Scripturæ librum singularem, & admirationis dignum præbuit. Et denique Guillelmus Ader Libellum doctrinæ plenum de morbis Euangelij donauit. Horum ocasione ductus Paginam sacram multoties perlegens tam antiqui, quam noui Testamenti; cum quam plurimas in ipsa relatas præternaturam affectiones inuenissem, quo potui studio, & diligentia ipsas collegi, & Septuaginta duas inueni (vt in omnibus Septenarius numerus sit magnus, & admiratione dignus) de quibus particulariter in suis agitur Capitibus, vt ex ipsarū multitudine claritas, & non confusio causetur. Et cū apud Galenum lib. de partibus Medicinæ (qui plurimas posse considerari diuisiones iuxta exigentiam finis, vndè plures sortitæ fuere, quædam particulares, & vniuersales quædā


refert) Pathologia secundum obtineat locum, & agit de his omnibus, quæ corpori humano accidere possunt, quæ sunt tria in vniuersum. Morbus, causa morbi, & Synthoma (hoc est morbi effectus) Pathologiam, hunc tractatum, vel librũ nuncupaui, quia de affectibus præternaturam, qui in sacris literis continentur, vel referuntur, agitur. Non enim potui figuram ipsam in principio positam depingere, vt omnes septuaginta duas affectiones representaret. Id quod potui modo feci, in Vetulæ cuiusdam figura, iam marcida, tabida, sicca, surda, paralitica, arreptitia, gibbosa, claudicans, vulnerata, inflammata, à cane rabido morsa, & à contagio venenosi animalis apprehensa, vt ne ab arbitrio Figuram dictã quis existimet fuisse, sed quia significat id, quod proprium nomen Pathologiæ sonat. Vellem vt intelligat quisquis hunc tractatum legat, me, quamplurimum in inquisitione sacrorum locorum tempus, & curam consumpsisse. Et quod ad rem Phisicam, & Medicam attinet facta collatione, cum sacris testimonijs affectiones scripsisse. Forsan inuenies aliquid vtile, vel nouum, si malum adinueneris dimitte, & sume bonum: & si malum omne tibi videatur (cum facillimum sit inuentis addere) accipe calamum censura, scribe, & adde: nam ingeniolum meũ humile semper esse confitear, & semper Romanæ Ecclesiæ, & hominibus bonarum diciplinarum submittam, & subijciam. Tu lege benignè, & *Quis est, Mortalitatem cogita.*



DE

DE MORBIS IN SACRIS LITERIS, PATHOLOGIA.

CAPVT I.



De Calvitie.



VM De affectibus præter naturam, qui corpori humano accidere solent, in sacris Literis relatis, initium sumamus, de illis, qui ad caput pertinent propter ipsius nobilitatem, & præstantiam (vt solet cõmunis Medicorum Schola) prius ad nos agere attinet; & quia quod prius oculis obijcitur (earum partium, quæ capitis sunt ornamenta) sunt pilli propter quorum defectum fit homo calvus, ideò prius de Calvitie agimus in præsenti.

Calvus dicitur, cuius caput capillis est denudatum, siue id sit à natiuitate (vt Plinius lib. 11. docet esse gentes naturaliter calvas, quales Miconij, qui capillo carentes gignuntur) siue ab alia proueniat causa.

Calvities duobus modis sumi potest. Primò,

mò, lato modo, & impropriè; & secundò strictè & propriè. Impropriè enim sumitur Calvities, pro quocumque pillorum defectu, siue à causa morbifica, siue ab arte fiat, vt Gallica lue affectis, vel quibus Alopesia afficiuntur, vt leprosis etiam contingit. Et ex cap. 13. Leuit. *Vir de cuius capite capilli fluunt, & calvus, & mundus est*; colligitur. In illis qui media nouacula caput abradunt, & pillis denudatū apparet, sicuti si vera Calvitie afficerentur, id similiter verificatur. In hūc sensum est locus Hieremiæ cap. 16. *Et morientur grandes, & parui in terra ista, & non sepelientur, neque plangentur, & non se incident, neque Calvitium fiet pro eis.* Erat enim Calvities, hoc est, insicio pillorum vsque ad cutem signū planctus, & tristitiæ, vt tenet Lyra. Et cap. 47. *Venit Calvitium super Gasam.* Calvitium hic plagam, venturam significat hæreticis & schismaticis, & omnibus Ecclesiæ hostibus, vt Glossa tenet ordinaria. Cap. 48. *Omne enim caput Calvitium, & omnis barba rasa erit, in cūctis manibus colligatio, & super omne dorsum Calvitium.* Maldonatus dicit, quòd hic describitur mirabilis Moabitarum luctus. Solebāt enim illæ gentes in luctu manus sibi, & brachia vnguibus lacerare, aut cutellis scindere, vt constat Deut. 14. Leuit.

Leuitici c. 3. ver. 42.

Hieremiæ, cap. 16. ver. 6.

Hieremiæ, cap. 47. ver. 5.

Hieremiæ. cap. 48. ver. 37.

19. & 3. Reg. 18. Et in Africa id non solum in Iudæorum luctibus, sed Sarracenorum sui experitus. Vnde constat, quòd tale Calvitium nō erat proprium; illud scilicet, quòd naturaliter euenit à causis secundùm naturam operantibus; sed erat apud antiquos luctus indicium, & magnitudo mœroris ostendebatur. In hunc eundem sensum est similiter Esaias ad significandum planctum, cap. 3. hæc ait: *Et erit pro sudore fætor, & pro crispante crine Calvitium.* Et cap. 15. *In cunctis capitibus eius Calvitium, & omnis barba radetur.* Et Ezequias cap. 7. *Et accingent se cilicijs, & operiet eos formido, & in omni facie confusio, & in vniuersis capitibus eorum Calvitium.* Et 27. cap. *Et radent super te Calvitium, & accingentur cilicijs, & plorabunt te in amaritudine animæ ploratu amarissimo.* Similiter cap. 8. Amos (vt tenet Ribera) id significare videtur. *Conuertam festiuitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum, & inducam super omne dorsum vestrum saccum, & super omne caput Calvitium.* Constat enim ex his locis, quòd solum sumitur Calvitium impropriè pro quacumque insicisione pillorum capitis, siue id fiat ad planctum, & luctum significandum, siue ad significandum animum media pœnitentia. Cum enim inter fi-

Isai. c. 3. ver. 24. & cap. 15. ver. 23.

Ezequie, cap. 7. ver. 18. & c. 27. ver. 31.

Amos, ca. 8. ver. 10.

nes naturæ pillorum capitis generatio ſit ad pulchritudinem, & formoſitatem, & ex quacumque pillorum inſciſsione deformior fiat facies, pulchritudoque minuatur, licitum planctum, & mœrorem ſignificabat, alioſque animi actus. Hodiè enim videmus aliquas mulieres, quæ propter mariti mortem ad maius viduitatis ſignum, ſcindunt, abraduntque capitis pillos, quibus pulchriores videbantur. Similiter Monachi cum ad Religioſam vitam ſe cõuertant, nec non ad clauſuram capillos abradunt ex barba, & capite. Vnde poſſumus omnes iſtos lato modo vocare caluos, etiã ſi id opprobrium videatur. Erat enim (& nunc ſimiliter) opprobrium hominem, qui Calvitiem habebat, caluum appellare. Id enim 4. Reg. cap. 2. cum loquitur de Eliſeo, conſtat. *Pueri parui egreſsi ſunt de ciuitate, & illudebant ei dicentes: Aſcẽde calue, Aſcende calue.* Vt enim homo vocetur defectuoſus, eſt neceſſarium quod aliqua pars deficiat, vt pes & brachium, vel conſtet aliqua mala figura. Et cum pilli etiam ſi non ſint veræ partes integrales viuentis, ſint neceſſariæ partes ad pulchritudinem; hinc eſt, quod loco vituperij, vel opprobrij, vt ſi homo calvus eſſet defectuoſus, vocetur calvus, vt dicti pueri dicebant:

4. Reg. 2. verſ. 23.

bant: Ascende calue, Ascende calue.

Secundò sumitur propriè Calvities, vt apud Leuiticum cap. 13. *Vir de cuius capite capilli defluunt, caluus, & mundus est, & si à fronte ceciderint pilli recaluaster, & mundus est.* Ferè semper quando incipit Calvities est per frontem, & posteà successiuè ad cœteras capitis partes, & tunc quando per frontem incipit, idem est, ac aliquantulum caluus, siue parua Calvities, testè Lyra, & Cornelio. Ratio est, quia prius defluũt pilli ex parte, in qua minorem firmitudinem habent in radicibus: cum autem in sincipite, siue capitis parte anteriori, maior existat humiditas, in alijs verò siccitas; hinc est, quòd debiliorem habeant pilli in radicibus consistentiã; in cœteris verò partibus firmiores sint. Quando autem causa augetur, hoc est, intenditur siccitas, & non solum anterior pars, sed posterior pillis denudatur, taliter vt fuligo, ex qua vt ex materia componitur pillus; ratione magnæ pororum clausuræ non possit egredi foras, fit pillorum defluuium, & rarescere incipiunt, & tandem Calvities illa propriè & rigurosè vocatur. Vallesius in Sacra Philosop. c. 19. Tradit Hippocrat. 6. Epidem. sect. 3. reicit in cerebrum, quòd scilicet quibusdam extenuatur eo loco

Leuit ca. 13. ver. 4.

consistens substantia cerebri, fiatque minor, quam vt tangere possit ossa; & id accidere posse iuxta frontem, vbi angustior cerebri pars est; in alijs verò capitis partibus non ita, atque ob id fieri secundùm sinciput Calvitiem.

De hac vera Calvitie, quæ synthoma est in affectu corporis, siue in qualitate mutata, quia redditur cutis nimis aspera, & densa, aliqua dicta habemus apud Hippocratem, præcipuè sect. 6. aphoris. 28. Non fiunt Eunuchi calui; Eunuchi enim sunt illi, qui non habent testiculos, vel attritos habent, taliter vt non possint semen generare; ad diuersitatẽ Spadonum, qui & si non generant semen, non est quia ipsis deficiant testes, vel attritos habeant; sed quia viæ seminales, vasa inquam (quæ spermatica appellantur) adeò inflexæ, & contortæ sunt, vt non possint emittere semen. Isti enim Eunuchi non fiunt calui, quòd Aristoteles etiam dixit 5. de Generatione Animalium, his verbis: *Et Eunuchus non fit caluus, quia in fœminam mutatur; humidiores enim sunt cæteris hominibus, vnde capitis cutis non densatur præ nimia humiditate, neque deficiunt fuligines, vt in pillos conuertantur.* Hoc enim est intelligendum meo videri de eo, quòd plerumque contingit, non

ta-

tamen quòd implicet fieri Eunuchos caluos: nam ſicuti non implicat fieri caluas mulieres (vt experimento eſt compertum) non ſolùm illas quibus menſtrua defecerunt, ſed adhuc menſtruantes; ita neque implicabit Eunuchos caluos fieri, quia quodammodo fœmineæ naturæ ſunt.

Eadem ſect. aphor. 34. legimus. *Quicumque calui fiunt, his magnæ varices non fiunt, quibus verò caluis iam factis varices superueniunt, rurſum hi ſunt capillati.* Non enim loquitur in hoc loco Hippocrates de Calvitie vera; nam ſicuti non datur regreſſus de priuatione ad habitum, hoc eſt, ſicuti non datur regreſſus de ſenectute ad iuuentutem, & de iuuentute ad pueritiam: neque ſemel ſiccata arbore, iterum vireſcit; non pillantur, qui ſemel verè ſunt calui; quia introducta naturali, hoc eſt, ætatiua ſiccitate inducta à cauſis ſecundùm naturam, cùm ordine naturæ operantibus non fit regreſſus ad cauſas humectantes. Loquitur de fluuio pillorum, ſiue de Calvitie, quæ præter naturam accidit, vt contingit in magnis morbis, in quibus ob magnam pororum raritatem capilli defluunt; vel ob magnam humorum acrimoniam pillorum radices erodendo, vt in heriſypellate, & morbo

Gallico affectis contingit. In his itaque non fient (dicit Hippocrates) magnæ varices. Et ratio est, quia humor, qui ad crurum venas ad cõficiendas varices confluere debebat, in capite inter cutem, & membranam carnosam existit, & ita non fient varices. At verò si tali humore moto ad crures fiant varices, hi capillãtur, quia tollitur impedimentum, vt fuligines eleuatæ à caloreq; naturali expulsæ (vt tenet Segarra, lib. de natura hominis) ad cutim exeant, conuertanturque in pillos.

CAPVT II.

De Tinea.

TRIA Significat hoc nomen *Tinea*. Primum est, Vermiculus quidam, qui aut situ, aut puluere, aut putredine interdum ligna, aut vestes, aut libros abrodit. Sic Oratius 1. lib. Epistol. 21. ad librum suum *Aut Tineas pasces taciturus inertes*. In hunc sensum videtur Iob cap. 4. locutum fuisse. *Quanto magis hi, qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamẽtum consumuntur velut Tinea*. Nicolaus de Lyra dicit. Deficient, & per fomitem incident in

Iob, cap. 4. ver. 19.

pec-

peccata, quia ſicut Tinea naſcitur ex veſte, & eam corrodit; ſic fomes naſcens ex homine, ipſum ad corruptionem peccati inducit, & 13. c. *Quaſi putredo conſumendus ſum, & quaſi veſtimentum, quòd comeditur à Tinea.* In Interlineali legimus ſine ſonitu. Et 27. cap. *Ædificauit ſicut Tinea domum ſuam.* Gloſſa ordinaria. Tinea domum ſibi corrumpendo ædificat. Sic hæreticus locum perfidiæ ſuæ, non niſi in mentibus quas corrumpit facit. Et cap. 42. Eccleſiaſtici. *De veſtimentis enim procedit Tinea.* Et Iſaias cap. 14. *Et ſuper te ſternetur Tinea.* Circa hunc locum Lyra; quia cadauer hominis mortui vermificat circũ circa. Et cap. 50. *Ecce omnes quaſi veſtimentum conterentur, Tinea comedet eos.* Et cap. 51. Idipſum Propheta repetit his verbis: *Sicut lanam, ſic deuorabit eos Tinea.*

Iob cap. 13. ver. 28.

Et cap 27. ver. 18.

Eccleſiaſtici cap. 42. ver. 13.

Iſaias c. 14. ver. 11.

Et cap. 50. ver. 9.

Et cap. 51. ver. 8.

Secundò, Tineæ, ventris vermes ſunt in inteſtini recti extremo naſcẽtes. Celſus, Lumbricos appellat. Plinius lib. 11. cap. 33. intra hominem Tineæ tricenum pedum aliquando plurium longitudine. Medici exiſtimant tales lumbricos (quos Græci Aſcarides appellant) morbum in numero conſtituere. Qui falluntur: Nã morbus in numero præſupponit partem viuentem, ſiue ſit in numero diminuto, vel addito, vt di-

digitus additus, vel ablatus. Alij existimant tales vermiculos esse synthoma in retentis toto genere præter naturam. Qui verùm tenent; nam ex putrescentibus cibis, vel humoribus generãtur tales vermes in intestinorum capacitate, sicuti ex stercore mures, & alia animacula immũda, & imperfecta, & cum tales sint toto genere præter naturam; quia totaliter sunt dissimiles viuenti, & inutiles, imò noxij, constituunt synthoma in retentis, quia tales vermiculi potius expelli, quàm detineri debentur.

Tertiò, vsurpatur Tinea à Medicis, & Chirurgicis pro morbo cutis capitis, & hanc sumit denominationem à vermiculis erodentibus ligna, & vestes Hispano sermone *Polilla.* Latini hanc vlcerosam affectionem capitis vlcera manantia (hac generali appellatione) exprimunt; quia scilicet ex ipsis continuò fluit purulentus quidam licor, & sicut vermes erodendo totum percurrunt lignum. Sic Tinea omnes cutaneas capitis partes. De hac affectione dicit Cornelius à Lapide intelligenda esse verba, cap. 13. Leuitici. *Vir siue mulier, in cuius capite, aut barba germinauerit lepra.* Quintam spetiem lepræ esse dicit, & vlcuscula esse, quæ manãt, & stillant. Succum quemdã liquidiori melli similem. De hac

Leuitici, c. 13. ver. 29

ib enim

enim affectione videtur posse intelligi verba, in 4. lib. Esdræ, cap. 8. *Radix mali signata est à vobis infirmitas: & Tinea à vobis abscunsa est.* Ex humoribus corruptis, & in ventre matris genitis dicit Guido, fieri hanc Tineam; quia scilicet ita difficulter curatur propter magnam talium humorum radicationem, vt sit tempus plurimum ad ipsam curandam necessarium. Galenus ex prauis alimentis, lib. 5. de compositione pharmacorum secundùm loca, c. 8. fieri dicit, & ipsius Tineæ curationem medicamentis ad extra positis intentat. *lib. 4. Esdræ c. 8. ver. 53*

CAPVT III.

De Cicatrice.

CICATRIX Non est morbus, sed morbi effectus. Morbus etenim à quo immediatè dependet, solutio vnitatis est, quæ partes non solùm similares, sed verumetiã organicas comprehendit. Similares vocantur, cuius partes (etiam si sint minutissimæ) omnes sunt eiusdem rationis, vt caro. Quælibet pars carnis eandem rationem habet cum altera, & sic de cœteris; omnes enim earum partium sunt

eius-

scisuræ, si magna, magna, & si parua, parua, & diffiniri potest in hunc modum: Cicatrix est callosa caro pro cute inducta.

De Cicatrice plurima sunt dicta. Terentius in Eunuchum: Neque pugnas narrat, neque Cicatrices suas ostentat. Cicero 7. Philip. Luculẽtam plagam accepi, vt docet Cicatrix, & cùm hominum complexiones sint diuersę; nam quidam sunt pituitosi, quidam melancholici, alteri sanguinei, & aliqui biliosi, hinc est, quòd secundùm humoris exuperantiã, color Cicatricis varietur. Vnde apud Leuiticum cap. 13. hæc legimus: *Caro autem, & cutis, in qua vlcus natum est, & sanatum, & in loco vlceris Cicatrix alba apparuit, siue subrufa.* Constat igitur, quòd vlcus postquã sanatum est cicatricatur, & quòd aliquem à dictis causis obtinet colorem. In eodem cap. parum infra. *Quòd si pillus coloris est pristini, & Cicatrix subobscura.* Et deinde: *Contaminauit eum, quia plaga lepræ supra Cicatricem orta est.* Et vlterius: *Quia Cicatrix est combusturæ.* Ex quo colligimus, quòd non solùm ex colore Cicatricis cognoscimus humorem intra corpus prædominantem, sed causam externam, vt ferrum cõburens; combustione enim consumitur humidum in labijs vlceris existens ad modum corrigiæ,

Leuitici, c. 13. ver. 19.

Leuitici, c. 13. ver. 21.

giæ, vel alterius pelliculæ, ad ignem applicatæ, labia corrugantur vlceris & ita quando iam ad vnionem deueniunt, illa corrugatione, & desiccatione vniuntur, & ita cognoscitur ex Cicatrice, quãdo vlcus factum est à causa comburente ex combustura contracta; & quando à causa solùm scindente nullum in vlceris labijs humidum consumptum, siue sit externa, vt ensis, siue interna, vt bilis, reperitur. De his enim existimo locutum fuisse Hieremiam cap. 8. *Nunquid resina nõ est in Galaad? aut Medicus non est ibi? Quare igitur non est obducta Cicatrix filiæ populi mei?* Aliqui nomine resinæ balsamum, alij opobalsamum, & alij theriacam vertunt. Et cap. 30. *Obducam enim Cicatricem tibi, & ab vlneribus tuis sanabo te.* Et cap. 33. *Ego obducam ei Cicatricem, & sanitatem.* Ex quibus constant duo. Primum est quòd resina optima est ad Cicatricem inducendam. Hoc enim constat ex Galeno lib. 8. simp. medicament. dicente, quòd resina quælibet cõsumit humiditates superfluas, quæ vlceris vnionem impediunt, excalfacit, & desicat, confortat, & astringit, quęlibet illa sit, siue therebentinea, vel lentiscinea, vel pinea sit. Secundum quod colligitur est, quòd aliquando fiat Cicatrix, & pars non sanetur: Nam multoties con-

Hieremiæ, cap. 8. ver. 22.

Et cap. 30. ver. 17.

Et cap. 33. ver. 6.

tin-

tingit ad partem iam cicatricatam aliquem deuenire fluxionem, quæ etiam si cicatricata, dolore vexata, & afflicta, non posit sana vocari. Atverò Hieremias, vt optimus Medicus, qui non solùm debet curare de Cicatrice inducenda, sed de precauendis humoribus ad partem à morbo debilem, ne amplius affligatur, & de ipsius confortatione, & corroboratione, non solùm Cicatricem inducit, sed sanitatem.

CAPVT IIII.

De Cancere.

CANCER (vt apud Plinium est videre lib. 9. cap. 31.) genus quodam est Piscis mollem testam habens pro tegumento, cuius multæ sunt species. Significat etiam vnũ ex duodecim Zodiaci signis, dictum ita à quadam Cancri Piscis similitudine, eo quòd Sol mense Iunio Signum hoc perambulans paulatim incipit à nobis recedere, & cursu retrogrado ferri in modum Cancri. Hunc fuisse Cancrum, refert Higinius, qui à Iunone in Herculem cum Hydra Lernea pugnantem immissus fuit; qui cum pedem eius momordisset, ab Hercu-

cu-

cule occissus est, & à Iunone inter Sydera collocatus.

A Medicis Cancer pro morbo vsurpatur ab atrabili causato plurimas corporis partes infestante,& præcipuè mulierum mammas,in quarum glandulis,quia spongiosę sunt naturę humor impingitur,præcipuè si menstruo nō purgantur. Hic morbus tale sortitur nomen, vel quia paulatim serpat Cancri Piscis similitudine, vel quòd venas circa se habeat extensas instar brachiorum Cancri, vel quòd pertinaciter hæreat,vt solet Cancer.

In Epistola 2.ad Timoth. Diui Pauli cap.2. hæc legimus verba (loquens de infidelibus, & apostatis.) *Et sermo eorum, vt Cancer serpit*; Lyra: Paulatim tendit ad corruptionem. Præsupponit ergo sanctus Apostolus, quòd datur Cancer, & serpit. Vnde nobis restat inuestigare, quare Cancer, & non alij morbi serpant? Ad quòd præsupponendum est,quòd Cancer nihil aliud est,quam vlcus quoddam rotundum, fætidissimum,cauernosum, & plumbei coloris. Hæc enim sunt signa apud Chirurgos ad cognoscendum tale vlcus. Pars affecta est caro; ipsa ergo cùm calida,& humida sit, mollisq; ex sua natura,& ad corruptionē parata, facillimè re-

2.ad Timotheum D. Pauli ca.2. ver.17.

cipit qualitates putrefacientes, ac cœteræ corporis partes. Vndè quando humor atrabiliarius summè putrefactus est, si partem pertineat carnosam ipsam erodat, & exulcerat, ita vt carnem consummat, & cum sit humor crassus, pōderosus, & terrestris, non exulcerat superficialiter, sed profundè carnes (de natura potiùs bilis, quia tenuis naturæ est, externas, vel cutaneas erodere partes) veluti plumbum vstum; quòd semper sua ponderositate ad intra facit excauationem, carnes versus interna exulcerat, & partem distemperat; vt etiam si à Chirurgo medicamenta applicentur, quæ vim mundificandi, detergendi, carnemque generandi, & auferendi intemperiem habeant, nullatenus potest partē ad pristinam reducere temperiem, vt carnem nouam (vt vlcus repleatur) facultas nutritiua partis ex alimento in sanguinem conuerso parti apponere, & aglutinare posit. Statim enim, ac alimentum parti applicatur, recipit dispositiones illas corruptiuas, & in saniem, & pus cōuertitur, & partem viciniorem afficit, & hæc aliam, & sic de cœteris. Hinc est, vt Cancer serpat; alia verò vlcera non serpant, nam etiam si putrida, non habent illum ingentem modum putrefactionis, vel, vt alij volunt, illam excelentem,

tem, hoc eſt, intenſam putrefactionem, & ita humores non ſunt tam acres, & mordaces, & erodentes, vt non poſsint à docto Chirurgo medicamentis applicatis, intra, & extra remiti, & benigniores fieri; ita vt facultas nutritiua ex alimento, quòd eſt ſanguis, materiam apponere, vt fiat nutritio, poſsit; & poſtea augmentatiua ipſam ſubſtantiam accreſcat, vſquequo cauum vlcus carne ſit plenum.

CAPVT V.

De Impetigine.

APVD 21. Leuitici caput excludebatur omnis, qui de ſemine Aaron Sacerdotis habuerit maculam, vt offerret hoſtias. Inter alias corporis fœdationes adnumeratur Impetigo. *Si Impetiginem in corpore* legimus. Ex eiuſdem fit in ſequenti 22. cap. repetitio. Nicolaus de Lyra. *Si Impetiginem,* ideſt, ſcabiem ſiccam, quæ ſine dolore corporis corpus fœdat, & deformat. Et idem eſt iudicium de alijs deformitatibus naturalibus, propter quas redditur homo contemptibilis alijs. Gloſſa ordinaria, Impetigo ſine dolore corpus occupat, & mem- *Leuitici, c. 21. v. 22.*


 bro.

brorum decorem fœdat. Et Cornelius à Lapide idipſum tenet, & addit per cutem pruritu proſerpens.

A Græcis Impetigo Lichen appellatur, quia quædam reperitur herba huius nominis, quæ Impetiginem ſanat. Plinius lib. 26. cap. 1. Mentagram appellat; quia ferè ſemper incipit ex barba, & dicit nouum eſſe morbum. Impetigo idem eſt, quòd noſtro Hiſpano ſermone, *Empeine*; & idem eſt, quòd fœdatio cutis ſerpens cum pruritu, quam alij ſcabiem ſiccam appellant, aſperam, & prominentem. Alij morbum ſcamoſum, ſimilem ſcabiei, corpuſque dehoneſtantem. Ab impetu nomen eſt deductum. Columela lib. 5. ſcribit, quòd Impetigines, & ſcabies aceto, & alumine defricantur. Plinius lib. 13. c. 7. Hyberna caprificas in aceto, cocta, & trita Impetigines tollit. Fernelius lib. 7. de externis corporis affectionibus, cap. 4. inter paſsiones bilioſas Impetiginem narrat; etiam ſi alij dicat fieri ex craſſa pituita corrupta. Hippocrates lepram ſcabiem, & Impetiginem ex pituita fieri dicit. Auicena lib. 4. fen. 7. cap. 3. dixit, quòd vt in plurimum ſicca Impetigo ex pituita ſalſa fit, quæ per aduſtionem in humorem conuertitur melancholicum. Secundùm Celſum Impetiginis

nis quatuor sunt species. Prima est, quando cutis redditur aspera, dura, & cum pruritu, quam Arabes non distingunt à tinea, de qua Rasis lib. 15. dicit trahere originem à bili, aut pituita subtili putrefacta, vel salsa, & solùm cutim externam, quę oculis obijcitur, occupat. Secunda species est, quam Itali volatilem appellant, in qua asperior fit cutis, & rotundæ figuræ, quam vulgariter flegmam salsam appellamus, quæ nisi in figura differt à serpigine, quę per omnes corporis partes serpit, & divagatur. Fiunt hæ Impetigines ex vsta bile, aut ex salsa, & crassa pituita. Tertia species est, quam Græci Psoram appellant, & Auicena cap. 4. fen. 7. tract. 2. cap. 9. Albarasniger, asperior, & tumorosior est maiorique cum pruritu, & veluti scamæ Piscium reperiuntur, quæ decorticantur, & fit ex melancholia, & difficilis est curationis. Quarta species solùm differt à tertia secundùm magis & minus, & vocatur lepra, de qua cap. sequenti. Et existimo, quòd in cap. citato Leuitic. illa verba: *Si Impetiginem in corpore*, non intelliguntur de Impetigine, quæ in hac quarta spetie, quæ lepra est, exprimitur. Si enim nomine Impetiginis lepram intelligeret, non excluderetur ad oblationem, qui lepra fuisset affectus in particulari.

 Exi-



digitus additus, vel ablatus. Alij existimant tales vermiculos esse synthoma in retentis toto genere præter naturam. Qui verùm tenent; nam ex putrescentibus cibis, vel humoribus generātur tales vermes in intestinorum capacitate, sicuti ex stercore mures, & alia animacula immūda, & imperfecta, & cum tales sint toto genere præter naturam; quia totaliter sunt dissimiles viuenti, & inutiles, imò noxij, constituunt synthoma in retentis, quia tales vermiculi potius expelli, quàm detineri debentur.

Tertiò, vsurpatur Tinea à Medicis, & Chirurgicis pro morbo cutis capitis, & hanc sumit denominationem à vermiculis erodentibus ligna, & vestes Hispano sermone *Polilla*. Latini hanc vlcerosam affectionem capitis vlcera manantia (hac generali appellatione) exprimunt; quia scilicet ex ipsis continuò fluit purulentus quidam licor, & sicut vermes erodendo totum percurrunt lignum. Sic Tinea omnes cutaneas capitis partes. De hac affectione dicit Cornelius à Lapide intelligenda esse verba, cap. 13. Leuitici. *Vir siue mulier, in cuius capite, aut barba germinauerit lepra.* Quintam spetiem lepræ esse dicit, & vlcuscula esse, quæ manāt, & stillant. Succum quemdā liquidiori melli similem. De hac

Leuitici, c. 13. ver. 29

ib. enim

enim affectione videtur posse intelligi verba, in 4. lib. Esdræ, cap. 8. *Radix mali signata est à vobis infirmitas: & Tinea à vobis absconsa est.* Ex humoribus corruptis, & in ventre matris genitis dicit Guido, fieri hanc Tineam; quia scilicet ita difficulter curatur propter magnam talium humorum radicationem, vt sit tempus plurimum ad ipsam curandam necessarium. Galenus ex prauis alimentis, lib. 5. de compositione pharmacorum secundùm loca, c. 8. fieri dicit, & ipsius Tineæ curationem medicamentis ad extra positis intentat.

lib. 4. Esdræ c. 8. ver. 53

CAPVT III.

De Cicatrice.

CICATRIX Non est morbus, sed morbi effectus. Morbus etenim à quo immediatè dependet, solutio vnitatis est, quæ partes non solùm similares, sed verumetiã organicas comprehendit. Similares vocantur, cuius partes (etiam si sint minutissimæ) omnes sunt eiusdem rationis, vt caro. Quælibet pars carnis eandem rationem habet cum altera, & sic de cœteris; omnes enim earum partium sunt eius-

eiuſdem rationis. Organicæ vocantur, quæ ex ſimilaribus componuntur, vt cor, iecur, pulmo, oculus, muſculus, & ſic de cœteris. Cùm enim omnes partes, tam ſecundùm quòd ſimilares ſunt, quam ſecundùm quòd organicæ ſint capaces ſolutionis continuitatis (omne enim continuum poteſt diſcontinuari) & partes viuentis petant, vt optimè ſe habeant, continuitatem poterunt, vt malè ſe habeant, deperdere ipſam continuitatem. Ex ipſa igitur deperditione cõtinuitatis naſcitur Cicatrix, quando pars ſpermatica eſt ſoluta; nam ſi ſanguinea, hoc eſt, ex ſanguine conflata, vt caro, & pinguedo, nulla reſultat Cicatrix. Ex mera etenim carnis ſciſura, verbi gratia, labiorum, vel gingibarum, vt experimento eſt compertum, nulla reſultat Cicatrix. Ratio eſt: nam tales partes poſſunt, etiã ſi amittãtur, regenerari; ſpermaticę verò, illę ſcilicet, quæ in principijs generationis ex ſemine ortum ducunt, non poſſunt regenerari, quia illę (ſcilicet ſanguineę) poſſunt media facultate nutritiua, & generatiua, (quæ in omnibus aſsiſtunt partibus) viuentis per continuam applicationẽ ſanguinis in eos, & glutem conuerſi in carnem, ſanguinem cõmutare; aliæ autem nempè ſpermaticæ, cùm deficiat principium, ex quo con-

fla-

flatæ fuere, scilicet, sperma, non possunt regenerari, vel recuperari. Non enim scisa vena, vel arteria vena, vel arteria regenerata fuit, quantumvis maximopere fiat nutritio. Vnde resultat, quòd semel fracto osse (quòd spermaticum similiter est) inter vnam & alteram partem vnitio fiat medio quodam poro, qui tractu dierum duritiem recipit ad modum ossis (non desunt qui dicant duriorem fieri osse, quia si iterum contingat os frangi, non frangitur per partem primò fractam, sed per aliam, quòd à Chirurgis experimento est compertum) ita similiter semel abscissa parte spermatica, vt tendo, vel neruus, vt vniatur, fit quoddam vnitiuum à natura ex alimento magis glutinoso, & viscoso, quòd in parte adinuenit. Cùm enim illud sit dissimile parti vniēdæ, hinc est, vt vnitiuum habeat se, vt nutus inter partes diuisas. Cutis enim vera, quæ sub membrana carnosa reperitur in omnibus corporis partibus, spermatica est. Hinc est, quòd si cutis falsa (cuticula hęc superficialis, quæ oculis obijcitur) scindatur, & membrana carnosa, quæ immediatiùs assistit, non fit Cicatrix, si verò membrana (cutis inquam vera) quæ successiuè reperitur, sciditur Cicatrix fit propter rationes dictas ad magnitudinem

sci-

ſciſuræ, ſi magna, magna, & ſi parua, parua, & diffiniri poteſt in hunc modum: Cicatrix eſt calloſa caro pro cute inducta.

De Cicatrice plurima ſunt dicta. Terentius in Eunuchum: Neque pugnas narrat, neque Cicatrices ſuas oſtentat. Cicero 7. Philip. Luculẽtam plagam accepi, vt docet Cicatrix, & cùm hominum complexiones ſint diuerſę; nam quidam ſunt pituitoſi, quidam melancholici, alteri ſanguinei, & aliqui bilioſi, hinc eſt, quòd ſecundùm humoris exuperantiã, color Cicatricis

Leuitici, c. 13. ver. 19. varietur. Vnde apud Leuiticum cap. 13. hæc legimus: *Caro autem, & cutis, in qua vlcus natum eſt, & ſanatum, & in loco vlceris Cicatrix alba apparuit, ſiue ſubrufa.* Conſtat igitur, quòd vlcus poſtquã ſanatum eſt cicatricatur, & quòd aliquem à dictis cauſis obtinet colorem. In eodem cap. parum infra. *Quòd ſi pillus coloris eſt priſtini, & Cicatrix ſubobſcura.* Et deinde:

Leuitici, c. 13. ver. 21. *Contaminauit eum, quia plaga lepræ ſupra Cicatricem orta eſt.* Et vlterius: *Quia Cicatrix eſt combuſturæ.* Ex quo colligimus, quòd non ſolùm ex colore Cicatricis cognoſcimus humorem intra corpus prædominantem, ſed cauſam externam, vt ferrum cõburens; combuſtione enim conſumitur humidum in labijs vlceris exiſtens ad modum corri-

gię,

giæ, vel alterius pelliculæ, ad ignem applicatæ, labia corrugantur vlceris & ita quando iam ad vnionem deueniunt, illa corrugatione, & desiccatione vniuntur, & ita cognoscitur ex Cicatrice, quãdo vlcus factum est à causa comburente ex combustura contracta; & quando à causa solùm scindente nullum in vlceris labijs humidum consumptum, siue sit externa, vt ensis, siue interna, vt bilis, reperitur. De his enim existimo locutum fuisse Hieremiam cap. 8. *Nunquid resina nõ est in Galaad? aut Medicus non est ibi? Quare igitur non est obducta Cicatrix filiæ populi mei?* Aliqui nomine resinæ balsamum, alij opobalsamum, & alij theriacam vertunt. Et cap. 30. *Obducam enim Cicatricem tibi, & ab vlneribus tuis sanabo te.* Et cap. 33. *Ego obducam ei Cicatricem, & sanitatem.* Ex quibus constant duo. Primum est quòd resina optima est ad Cicatricem inducendam. Hoc enim constat ex Galeno lib. 8. simp. medicament. dicente, quòd resina quælibet cõsumit humiditates superfluas, quæ vlceris vnionem impediunt, excalfacit, & desicat, confortat, & astringit, quęlibet illa sit, siue therebentinea, vel lentiscinea, vel pinea sit. Secundum quod colligitur est, quòd aliquando fiat Cicatrix, & pars non sanetur: Nam multoties con-

Hieremiæ, cap. 8. ver. 22.

Et cap. 30. ver. 17.

Et cap. 33. ver. 6.

tin-

tingit ad partem iam cicatricatam aliquem deuenire fluxionem, quæ etiam si cicatricata, dolore vexata, & afflicta, non possit sana vocari. At verò Hieremias, vt optimus Medicus, qui non solùm debet curare de Cicatrice inducenda, sed de precauendis humoribus ad partem à morbo debilem, ne amplius affligatur, & de ipsius confortatione, & corroboratione, non solùm Cicatricem inducit, sed sanitatem.

CAPVT IIII.

De Cancere.

CANCER (vt apud Plinium est videre lib. 9. cap. 31.) genus quodam est Piscis mollem testam habens pro tegumento, cuius multæ sunt species. Significat etiam vnũ ex duodecim Zodiaci signis, dictum ita à quadam Cancri Piscis similitudine, eo quòd Sol mense Iunio Signum hoc perambulans paulatim incipit à nobis recedere, & cursu retrogrado ferri in modum Cancri. Hunc fuisse Cancrum, refert Higinius, qui à Iunone in Herculem cum Hydra Lernea pugnantem immissus fuit; qui cum pedem eius momordisset, ab Her-

cu-

cule occisſus eſt, & à Iunone inter Sydera collocatus.

A Medicis Cancer pro morbo vſurpatur ab atrabili cauſato plurimas corporis partes infeſtante, & præcipuè mulierum mammas, in quarum glandulis, quia ſpongioſę ſunt naturę humor impingitur, præcipuè ſi menſtruo nō purgantur. Hic morbus tale ſortitur nomen, vel quia paulatim ſerpat Cancri Piſcis ſimilitudine, vel quòd venas circa ſe habeat extenſas inſtar brachiorum Cancri, vel quòd pertinaciter hæreat, vt ſolet Cancer.

In Epiſtola 2. ad Timoth. Diui Pauli cap. 2. hæc legimus verba (loquens de infidelibus, & apoſtatis.) *Et sermo eorum, vt Cancer ſerpit*, Lyra: Paulatim tendit ad corruptionem. Præſupponit ergo ſanctus Apoſtolus, quòd datur Cancer, & ſerpit. Vnde nobis reſtat inueſtigare, quare Cancer, & non alij morbi ſerpant? Ad quòd præſupponendum eſt, quòd Cancer nihil aliud eſt, quam vlcus quoddam rotundum, fætidiſsimum, cauernoſum, & plumbei coloris. Hæc enim ſunt ſigna apud Chirurgos ad cognoſcendum tale vlcus. Pars affecta eſt caro; ipſa ergo cùm calida, & humida ſit, mollisq́; ex ſua natura, & ad corruptionē parata, facillimè re-

2. ad Timotheum D. Pauli ca. 2. ver. 17.

cipit qualitates putrefacientes, ac cœteræ corporis partes. Vndè quando humor atrabiliarius summè putrefactus est, si partem pertineat carnosam ipsam erodat, & exulcerat, ita vt carnem consummat, & cum sit humor crassus, pōderosus, & terrestris, non exulcerat superficialiter, sed profundè carnes (de natura potiùs bilis, quia tenuis naturæ est, externas, vel cutaneas erodere partes) veluti plumbum vstum; quòd semper sua ponderositate ad intra facit excauationem, carnes versus interna exulcerat, & partem distemperat; vt etiam si à Chirurgo medicamenta applicentur, quæ vim mundificandi, detergendi, carnemque generandi, & auferendi intemperiem habeant, nullatenus potest partē ad pristinam reducere temperiem, vt carnem nouam (vt vlcus repleatur) facultas nutritiua partis ex alimento in sanguinem conuerso parti apponere, & aglutinare posſit. Statim enim, ac alimentum parti applicatur, recipit dispositiones illas corruptiuas, & in saniem, & pus cōuertitur, & partem viciniorem afficit, & hæc aliam, & sic de cœteris. Hinc est, vt Cancer serpat; alia verò vlcera non serpant, nam etiam si putrida, non habent illum ingentem modum putrefactionis, vel, vt alij volunt, illam excelen-

tem, hoc eſt, intenſam putrefactionem, & ita humores non ſunt tam acres, & mordaces, & erodentes, vt non poſsint à docto Chirurgo medicamentis applicatis, intra, & extra remiti, & benigniores fieri; ita vt facultas nutritiua ex alimento, quòd eſt ſanguis, materiam apponere, vt fiat nutritio, poſsit; & poſtea augmentatiua ipſam ſubſtantiam accreſcat, vſquequo cauum vlcus carne ſit plenum.

CAPVT V.

De Impetigine.

APVD 21. Leuitici caput excludebatur omnis, qui de ſemine Aaron Sacerdotis habuerit maculam, vt offerret hoſtias. Inter alias corporis fœdationes adnumeratur Impetigo. *Si Impetiginem in corpore* legimus. Ex eiuſdem fit in ſequenti 22. cap. repetitio. Nicolaus de Lyra. *Si Impetiginem,* ideſt, ſcabiem ſiccam, quæ ſine dolore corporis corpus fœdat, & deformat. Et idem eſt iudicium de alijs deformitatibus naturalibus, propter quas redditur homo contemptibilis alijs. Gloſſa ordinaria, Impetigo ſine dolore corpus occupat, & mēbro.

Leuitici, c. 21. v. 21.

brorum decorem fœdat. Et Cornelius à Lapide idipsum tenet, & addit per cutem pruritu proserpens.

A Grecis Impetigo Lichen appellatur, quia quædam reperitur herba huius nominis, quæ Impetiginem sanat. Plinius lib. 26. cap. 1. Mentagram appellat; quia ferè semper incipit ex barba, & dicit nouum esse morbum. Impetigo idem est, quòd nostro Hispano sermone, *Empeine*; & idem est, quòd fœdatio cutis serpens cum pruritu, quam alij scabiem siccam appellant, asperam, & prominentem. Alij morbum scamosum, similem scabiei, corpusque dehonestantem. Ab impetu nomen est deductum. Columela lib. 5. scribit, quòd Impetigines, & scabies aceto, & alumine defricantur. Plinius lib. 13. c. 7. Hyberna caprificas in aceto, cocta, & trita Impetigines tollit. Fernelius lib. 7. de externis corporis affectionibus, cap. 4. inter passiones biliosas Impetiginem narrat; etiam si alij dicat fieri ex crassa pituita corrupta. Hippocrates lepram scabiem, & Impetiginem ex pituita fieri dicit. Auicena lib. 4. fen. 7. cap. 3. dixit, quòd vt in plurimum sicca Impetigo ex pituita salsa fit, quæ per adustionem in humorem conuertitur melancholicum. Secundùm Celsum Impetiginis

nis quatuor sunt speties. Prima est, quando cutis redditur aspera, dura, & cum pruritu, quam Arabes non distingunt à tinea, de qua Rasis lib. 15. dicit trahere originem à bili, aut pituita subtili putrefacta, vel salsa, & solùm cutim externam, quę oculis obijcitur, occupat. Secunda speties est, quam Itali volatilem appellant, in qua asperior fit cutis, & rotundæ figuræ, quam vulgariter flegmam salsam appellamus, quæ nisi in figura differt à serpigine, quę per omnes corporis partes serpit, & divagatur. Fiunt hæ Impetigines ex vsta bile, aut ex salsa, & crassa pituita. Tertia speties est, quam Græci Psoram appellant, & Auicena cap. 4. fen. 7. tract. 2. cap. 9. Albarasniger, asperior, & tumorosior est maiorique cum pruritu, & veluti scamæ Piscium reperiuntur, quæ decorticantur, & fit ex melancholia, & difficilis est curationis. Quarta speties solùm differt à tertia secundùm magis & minus, & vocatur lepra, de qua cap. sequenti. Et existimo, quòd in cap. citato Leuitic. illa verba: *Si Impetiginem in corpore*, non intelliguntur de Impetigine, quæ in hac quarta spetie, quæ lepra est, exprimitur. Si enim nomine Impetiginis lepram intelligeret, non excluderetur ad oblationem, qui lepra fuisset affectus in particulari.



Exiſtimandum ergo eſt, quòd quando ſacra Pagina loquitur de Impetigine, de illa quæ tertiæ eſt ſpeciei, & vehementior eſt cœteris alijs, intelligitur.


Impetigo, quatenus fœdationem cutis dicit, ſynthoma eſt in affectu corporis. Quatenus verò reperitur in Impetigine tumoroſitas morbus eſt in compoſitione; ſicuti cœteri tumores præter naturam.

CAPVT VI.

De Lepra.

POST Impetiginem agimus de Lepra, quæ (vt diximus) vltima impetiginis eſt ſpecies, & cutis eſt vitium naturale; nō verò de illa; quæ potius fuit plaga diuina, quàm morbus, de qua in præſenti cap. fit mentio, vt Cornelius à Lapide exiſtimat ad punienda Iudæorum grauiora peccata, Dei prouidentia immiſſa, vt ex 4. Reg. Giezi ab Eliſeo percuſus eſt Lepra. Et Oſias Rex Lepra percuſus eſt à Deo 2. lib. Paralip. cap. 6. Et Maria ſoror Moyſis Numer. 12. vel ob murmurationem, vel ſacrilegium.

In



In cap. 13. Leuitic. de Lepra hæc sunt scripta: *Locutusq́ est Dominus ad Moysem, & Aaron, dicens: Homo in cuius cute, & carne ortus fuerit diuersus color, siue pustula, aut quasi lucẽs quippiam, idest, plaga Lepræ, adducetur ad Aaron Sacerdotem, vel ad vnum quemlibet filiorum eius. Qui cùm viderit Lepram in cute, & pillos in album mutatos colorem, ipsamque spetiem Lepræ humiliorem cute, & carne reliqua, plaga Lepræ est, & ad arbitrium eius separabitur. Si autem lucens candor fuerit in cute, nec humilior carne reliqua, & pilli coloris pristini recludet eum Sacerdos septem diebus, & considerabit die septimo: & siquidem Lepra non creuerit, nec transierit in cute priores terminos, rursum recludet eum septem diebus alijs, & die septimo contemplabitur: si obscurior fuerit Lepra, &c.* Interpretes circa hunc locum sex adnumerant Lepræ speties, & vltima est, quæ est in calvitio. Cap. 12. citato Numer. *Et ecce Maria apparuit candens Lepra quasi nix separetur septem diebus extra castra, & postea reuocabitur.* Sanctus Ephren agens de morbo linguæ, & Cornelius, hic Lepram pœnam fuisse rebellium, & murmurantium existimant. Et Deuteron. cap. 17. *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris inter sanguinem, & sanguinem, causam & causam, Lepram, & non Lepram.* Hoc est, Lepra munda,

Leuitici, c. 13. ver. 2. ex sequentibus.

Numer. c. 12. ver. 10.

Deuter. c. 17. ver. 8.

da, vel mundissima, siue vt alij dicunt esse Lepram, quæ à Sacris separabat; aliam verò mundissimam, quæ non, vt Cornelius. Quam plurima alia circa hunc affectum sunt in sacris Literis loca; verũ, quia ad nostrum institutum præter citata cœtera sunt, quasi inutilia, & frustranea, quia in relatis omnia Phisica, & Medica, quæ philosophari possunt, reperiuntur, & à Francisco Vallesio in sacra Philosophia cap. 19. exactè philosophantur, in illis referendis non immoror. A Latinis, & Arabicis hæc affectio cutis Lepra vocatur, à Græcis Elephansia, & vulgariter in Hispania his nostris temporibus, *Mal de san Lazaro*, & in præteritis *Gafedad*, vel *Malatia*, & ita ipsa apprehensos Hispana antiquitas *Gafos*, vel *Malatos* appellat. Paulus Lepram diffinit, quòd sit asperitas cutis cum pruritu, & corporis colliquatione ex humore melancholico orbiculatim depascens profundas corporis partes, atque Pisciũ instar scamulas ex se mittens. Quæ diffinitio communior est inter Medicos, & ferè omnes ipsam deffiniunt per signa, quæ in leprosis inueniunt, vt asperitates, maculas, pustulas, & alia multa, quæ in relatis sacris locis depinguntur, quorum causas ex professo Doctor Franciscus Vallesius

do-

doctiſsimè in ſacra Philoſophia ſatis difusè, cap. 19. perquirit, & diſſoluit. Tum & etiam apud omnes practicos, tam antiquos, quàm neothericos ſignorum omnium (præcipuè ſcribentes de morbis cutaneis) tum & diuerſitatis cum alijs cutaneis affectionibus fœdationem cutis habentibus cauſæ optimæ perquiruntur. Et ita agere de Lepra cum ſuis ſignis & cauſis, necnon de ipſius contagio, quaſi infructuoſum in hoc opere fortè alicui videbitur. Non tamen ſi aliquid de timore contagij talis morbi (ſumpta occaſione ex verbis pluries relatis in ſacra Pagina *recludet eum*) ſcribam, vt in hominum memoria, quòd antiquitas tanta obſeruauit, ſemper maneat.

Quam plurimæ ſunt ciuitates nobiliſsimæ, in quibus pro magno timore contagij talis morbi iuſſu Regum ædificata fuere hoſpitia extra muros, vt in ciuitate Hiſpalenſi, Valentina, Toletana, & alijs huiuſmodi: in quibus apprehenſi à tali Leproſa affectione recluduntur, & à conſortio gentium ſeparantur (etiam ſi diuites, & magnates ſint) ibique curantur. Hoc enim conſtat ex priuilego D. Sanctij huius nominis Quarti, anno Domini 1284. *Sepades, que Paſqual Martinez, Mayoral de la caſa de los Mala-*

latos de san Lazaro de Seuilla , me mostrò vna carta del Rey don Alonso mi padre, que Dios perdone, que mandaua , que todos aquellos que fueren dañados de Gafedad , que non consintiessedes que moren entre los homes sanos, porque se podria seguir muy grã mal. Et addit Dominus Rex D. Sanctius mandato patris sui. *E yo por el guardamiẽto de vosotros, è porque temo podria acaecer muy gran daño, touelo por biẽ.* Et Dominus Rex D. Enricus in ciuitate Hispalensi, anno Domini 1376. concessit priuilegium in quo hæc leguntur verba. *E si fuere fallado, que es en comienço de la dicha dolencia, o en mediania della, o dixere que se quiere pensar, è sanar, è melicinar, que el dicho juez le dè plaço de vn año, a que se piense, o guarezca de la dicha dolencia; mandamos que no aya otro plaço alguno , mas que more, o estè por doliente en la dicha casa de san Lazaro en adelante.* Et Dominus Rex Ferdinandus Quartus idem his verbis confirmat. *Y o viendo que es mal en los gafos venir a guarecer entre los sanos , comer , y beuer con ellos, confirmoselo, y mando que les vala.* Ex quibus omnibus cõstat, quòd ratio quare Lepra affecti separantur à cœterorum consortio, est propter contagij periculum. Vnde est, vt sani fugiant à dictis leprosis ; & vt cognoscantur leprosi manibus habent tabellas quasdam, quibus fit soni-

tus

tus (vulgo *Tab'etas de san Lazaro* appellantur) Et sani cum sonitum audiant, ab ipsis separantur, & fugiunt.

CAPVT VII.

De Scabie.

POST Lepram de Scabie est, vt agamus; cùm valdè congeneæ sint affectiones, & cutis fœdationes. Constat ex citato loco in cap. antecedenti 13. Leuitici. *Et die septimo contemplabitur, si obscurior fuerit lepra, & non creuerit in cute, mundauit eum, quia Scabies est.* Vndè non est mirandum, quòd non solùm Galenus, verum etiam Oribasius, Paulus, & alij eandem esse materiam Lepræ, & Scabiei dicant. Et cap. 21. Leuitici inter illas affectiones, quæ separabant, & priuabant homines oblatione hostiarũ Scabies adnumeratur. *Si Scabiem in corpore.* Et 22. cap. id ipsum inuenimus repetitum. Et Deuter. cap. 28. inter morbos, quibus Dominus gentem percutit Scabiem esse inuenimus.

Leuitici, c. 13. ver. 6.

Et ca. 21. ver. 22.

Deuter. c. 28. v. 27.

Arabes hanc affectionem Scabiem nuncuparunt propter similitudinem quam cum Piscium scamis ipsa Scabie affecti in cute habent.

Auen-

Auensohar appellauit pruritum vexicalẽ; quia pruritus & Scabies solùm differunt in ratione magis & minus: nam in omni Scabie reperitur pruritus, non verò in omni pruritu Scabies, vel vexica, ob quam cutis vlcerata maneat. Hippocrates libello de affectionibus, ita inquit: Lepra, & Pruritus, & Scabies, & Impetigo, & Vitiligo, & Alopesia à pituita fiunt. Sunt autem talia turpido magis quàm morbi. Hanc ob causam dicit Vallesius cap. 19. Sacræ Philosophiæ hæc lex lepræ, & Scabiei lata fuit. Paulus à Gineta deffiniens hunc affectum dicit esse cutis asperitatem cum pruritu. Alij aliter diffinierunt, in quo non immoror, siue diffiniatur in ordine ad materiam, ex qua causatur (quæ sanguis putrefactus, vel fex sanguinis in naturam melancholiæ conuersi, vel pituita salsa potest esse) siue ad pruritum, siue ad cutis fædationem.

Experimento est compertum, quòd Scabiosi valdè à pruritu opprimuntur, & quòd confricatione maximopere delectantur. Dubitatur in præsenti, quomodo fiat, vel contingat in sensu tactus illa delectatio, & quare id magis in Scabie, quam in alijs pruriginosis affectionibus verificatur?

Circa primùm suppono, quòd pruritus fit

ex humoribus acribus, & mordacibus detentis in membrana carnosa, quæ sub cuticula, quæ oculis obigitur, existit: cum autem membrana sit valdè sensu prædita, toto illo tempore, quo in ipsa permanet, & existit, durat illa pruriginosa sensatio vsquequo humor à calore exoluatur. Dico igitur, quòd fit delectatio confricando partem, quia ipsa confricatione calefit pars per aduentum spirituum, qui suo calore humorem mordacem dissoluunt: tum quia pori amplius aperiuntur, vt melius fiat resolutio, & ita tactus præsentit voluptuosam affectionem media confricatione. Primò, per reductionem cutis ad naturalem statum, qui medioctis pororũ apertio est. Et secundò, per noxii exolutionem.

Sed obijcies, voluptas affectio est tactus vera, & realis; petit ergo affici tactum à qualitate tangibili vera, & reali; sed cutis rarefactio, etiã si redditus ad pristinum, & naturalem statum sit. Et expulsio noxiui non sunt causæ positiuæ, sed per accidens. Ergo assignanda est causa positiua, quæ proprium tactus voluptuosum sit obiectum? Et si dicas, quòd vngues, vel instrumenta, quibus corpus confricatur, tactum voluptuosè inferunt. Contra, quia vngues, &

cæ-

cœtera instrumenta, vt in plurimum sunt dura, & durities potiùs est parata ad dolorem concitandum ex sua natura, quam ad voluptatem causandam. Tum quia, si nimia sit confricatio vnguibus, maiores fieri exulcerationes, & sanguinem pro manare experimur. Vnde necessarium est aliam assignare causam. Respondetur totum esse verum. At quòd causa per se tactum blandè afficiens, atque voluptuosè, est sanguis, & spiritus, qui in parte confricata ipsa confricatione agitatur, & mouetur suis qualitatibus, secundis leniter tactum afficiens, ex quorum pręsentia, & calore, pororum apertio, & humoris nosciui expulsio resultat.

Ad secundũ dico, quòd hoc verificatur magis in Scabie, quã in alijs pruriginosis affectionibus, quę ab humoribus acribus, & mordacibus dependent. Nam quanto humor corporaturæ crasioris est, tanto magis detinetur, & difficilem habet exitum. Cum autem Scabies ex humoribus crasioribus fiat, aliquando melancholicis, & aliquãdo pituitosis, salsuginosisq; Hinc fit, vt diutiùs multo super cute, quam in alijs affectionibus detineatur, molestiamque magnam, dolorosamque sensationem membranæ carnosæ inferendo, & ita indigent scabios

bios

biosi maiori, vehementiorique confricatione, vt impetus pruritu minuatur, pro aliquo, etsi breui tempore.

CAPVT VIII.

De Purrigine.

APVD Deuteronomiū cap 28. legimus: *Percutiat te Dominus Purrigine, ita vt curari nequeas.* Purrigo affectus est congeneus morbo pediculari, & à Latinis ita appellatur, & barbari furfurationem nominant. Capitis est affectus, cum tenues, & furfuratæ scamulę ex capite decidunt, & hanc furfurationem Hispano sermone (si est ex capite) *Caspa* appellamus. Hoc autem euenit, inquit Celsus lib. 6. cap. 2. modò cum vlceratione, modò sine illa, modò cum pruritu, modò sine illo. Et quãuis vt in plurimum sit capitis affectio, non implicat vt in barba, supercilijs, & cœteris partibus pillatis, necnon etiam in toto corpore inueniatur: nam quando causa est vniuersalis, vniuersalis (hoc est totius corporis) erit effectus. *Deuter. c. 28. v. 28.*

Purriginem igitur post acutos morbos experimur, aliquando particularem, scilicet capitis,

tis, vel alterius partis, aliquando vniuersalem totius corporis admodum crisis; veluti si cutis vniuersa ad modum scamarum decorticaretur. Causatur ab humoribus acribus, terrestribus, & crasis, vt quando magna præcessisset in corpore vstio. Hęc enim affectio synthoma est præter naturam in affectu corporis, siue in qualitate mutata; quia cutis aliam qualitatem habet, quam debebat habere, nempè loco lenitatis asperitatem à morbo in intemperie sicca proueniens. Vnde senes qui humoribus crasis, vt in plurimum abundant, & propter naturalem ætatiuam temperiem cutim sicciorem habent, & ipsa purriginosa affectione naturaliter afficiuntur. Et hi & alij, qui talem dispositionē habent, vel ætatiuam, vel morbosam, nequeunt curari; hoc est, difficillimè curantur, & ferè incurabiles sunt. Nam cum curatio optima debeat fieri sublata causa immediata, & purriginis sit intemperies sicca, & talis nisi ab humiditate non possit expelli, & humiditas sit cœterarum primarum qualitatum minus actiua: nam siccitas actiuior humiditate est, vt benè experimur in senescentibus, & marcescentibus. Hinc fit, vt curari nequeant purriginosi. Sicuti enim propter dictam rationem sicciores quotidie euadimus,

mus, & nullum est remedium ad pristinam humiditatem reducendam. Ita quando Purrigo est à siccitate radicata, qualis est ætatiua, vel si morbosa admodum habitus adhærens, curari nequeũt tales purriginosæ affectiones, hoc est, per quam difficillimè sanantur.

CAPVT IX.

De Pustulis.

IN Sacris Literis tantummodo fit mentio de Pustula cap. 13. Leuitici, in quo hæc legimus verba: *Locutusque est Dominus ad Moysem, & Aaron dicens: Homo in cuius cute ortus fuerit diuersus color, siue Pustula, aut quasi lucẽs quippiam, idest plaga lepræ.* Due sunt in hac sacra enarratione partes. Prima est, homo in cuius cute ortus fuerit diuersus color, siue pustula. Secunda est, aut quasi lucens quippiam, idest plaga lepræ. *Leuitici, c. 13 v. 2.*

Circa primum videtur, quòd quando in cute apparet diuersus color, hoc est, macula, idem est, quòd pustula; & è contra pustula idem est, quòd macula in cute. Hoc enim constat ex Auctoribus, qui cum de morbo quodam maligno Hispano sermone *Tabardillo*, siue à Latinis de

morbo pustulato, siue de pustulis talis morbi (quę maculæ quædam sunt) agunt. Idipsum constat ex Galeni sententia 6. lib. de morbis vulgaribus par. 2. tom. 3. explicans sententiã Hipp. qui dicit latas pustulas quas Simõ habebat; erãt enim maculę in cute diuersi coloris. Vnde macula in cute, & pustula idẽ esse est intelligẽdum.

His suppositis dubitatur, an super illis verbis: Homo in cuius cute ortus fuerit diuersus color, siue pustula, tantummodo sit intelligẽda lepra, an verò alij morbi, in quibus diuersæ maculæ, & postulæ in cute inueniuntur, vt Variolæ (Hispano sermone *Viruelas*) & morbili (Hispano sermone *Sarampion.*)

Dico igitur, quòd non quicumque diuersus color, siue pustula est intelligenda, sed diuersus color, siue pustula, quæ etiam si non sit verè & realiter lepra, similitudinem habeat cum lepra. Variolæ etenim, & morbili lepræ asimilantur, quia quando incipiunt in cute, oritur diuersus color; corpora enim prius maculis, siue pustulis afficiuntur. & quando in declinatione decorticantur variolæ, similiter in cute (experimẽto est notum) manent per aliquod tempus pustulæ, siue maculæ. Tùm quia ad modũ lepræ corpora à planta pedis vsque ad verticem capitis afficiũtur.

tur. Tùm quia variolę, & morbili ingens habēt contagium, ficut lepra. Tùm quia variolæ, & morbili difficilè habent iudicium & curationē; ita vt quam plurimi periclitentur, ficut qui à lepra afficiuntur. Tùm quia ficuti in lepra, cutis vlceratur. Tùm quia ficut in lepra, pus manat ex vlceribus. Tùm quia ficut in lepra, capilli defluūt. Videtur ergo posse dictis verbis: *Homo in cuius cute ortus fuerit diuersus color, siue pustula:* Quòd optimè variolæ, & morbili comprehenduntur.

Secunda pars eſt. Aut quaſi lucens quippiā, ideſt, plaga lepræ. Hic dubitant Authores, an lepra Iudæorum fuerit dissimilis cum noſtra? Abulenſis cenſet eandem fuiſſe, etiam ſi Iudęorum magis fuerit corroſiua, quia plaga Dei fuit. Cornelius exiſtimat diſsimilem fuiſſe, & multas reddit rationes, quę ad noſtrum nō pertinent intentum. Videtur ergo, quod non ſolū de vera lepra loquitur, ſed de morbis omnibus, quibus corpus plagatur ad modum lepræ, præcipuè ſi contagioſi, vt variolæ ſint.

Dubitatur vlterius, an quādo ex lue Gallica corpus totū plagatur (& experimur quāplurima fieri vlcera fætidū pus manātia) tales ſi lepra afficerētur cōprehēdi ſimiliter debeāt in citatis ſacræ Paginæ verbis.

Dico nullam esse dubitandi rationem, comprehendi debere: Nam præterquam quod constant purulentia & fœtore, & alijs, quæ in vlceribus inueniũtur, reperitur contagium ita magnum, vt omnes etiam si sint parentes, aut amici discedant à lue Gallica dicto modo affectis. Tùm quia difficulter, ac leprosi Gallica vlcera sanantur, ita vt insanabiliter à Chirurgicis multoties relinquantur.

CAPVT X.

De Liuore.

INTER Colores duo sunt extremi, albus scilicet & niger; cœteri verò palidus, rufus, ceruleus, viridis, & liuidus medij sunt per participationem extremorum, vt optimè Franciscus Vallesius in controuersijs, cùm de coloribus vrinarum agit. Liuidus color in cute passio est præter naturam in qualitate mutata, vel vt alij Medici volunt in affectu corporis.

Prouerb. c. 20 v. 30. Apud Prouerb. cap. 20. legimus. *Liuor vulneris absterget mala.* Et Exodi 21. (infert hic *Exodi 21. v. 25.* Deus Talionis pœnam.) *Si quis aliquem intercesserit, reddet pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, Liuorem pro Liuore.*

Li-

Liuidus color alio nomine plumbeus, quia scilicet cum nigro colore sociatur, vt in vnguibus quando extrema perfrigerantur est videre. Et quando ictu ex lapide, vel alio instrumento duro exiles venæ contunduntur; & sanguinem ad extremam cutim diffundunt, vt Plinius lib. 26. cap. 22. Liuorem contrahere, est nigrefacere, est inuidiæ significatiuus, vt Lucanus lib. 1. *Liuor edax tibi cuncta necat*. Sicuti enim cœteri colores suas habent significationes, vt viridis spem, niger tristitiam, Liuor rabiem, & animi inuidiam denotat.

In præsenti explicare debemus, quomodo fiat in cute Liuor, vt inde colligere possimus causam Liuoris in sacrosancto Christi Corpore: Nam verba Esaiæ Prophetæ cap. 1. *A planta pedis, vsque ad verticem capitis, non est in eo sanitas, vulnus, & Liuor, & plaga nō est circūligata*. Et cap. 53. *Et Liuore eius sanati sumus*, de Christi sanctissimo Corpore omnes intelligunt Expositores. Esai. c. 1. v. 6. Et cap. 53. v. 5.

Circa quod notādū est, quod duobus in corpore, potest Liuor cōtingere modis, vel actione caloris, vel actione frigiditatis. Actione caloris, vt quādo aduritur caro, vel sanguis, nō solū fit Liuor, sed nigredo; quia humidum à calore & siccitate consumitur, vt Solis actione est videre,

qua scilicet homines aduruntur, & priùs fiunt liuidi, vel plumbei, & posteà nigri; quia cùm liuor sit via ad nigredinem, neutiquam fieri potest res nigra, nisi priùs liuida fiat; non enim de extremo possumus transire ad extremum, nisi priùs transeamus per medium, & in rebus, quę igni applicantur, id similiter experimur, actione frigiditatis similiter carnes liuescunt, quando à excellente frigiditate calor natiuus suffocatur, vel extinguitur, vt quando per loca transimus niuosa. Calor enim influens, spiritus scilicet vitalis ab extrema frigiditate fugit, & ad viscera retrahitur, ne cordi (quòd principium vitæ est) frigiditas intensa noceat, & ita absente spirituum calore carnes à frigiditate condensantur, & sanguis, qui in exilibus, & capillaribus venis super cute existit, grumescit, & perfrigeratus sine fluxibilitate manet: nã fluxibilitas (vt in Philosophia sacrosancti Corporis Christi egi) ab extrinseco principio, minimè ab intrinseco sanguis prouenit. Vnde necessarium est carnes externas liuescere. Sic enim Corpus totum sacrosanctum Christi (de cuius liuore citato loco locutus fuit Esaias) liuore vniuersali affectum fuit, quia carnes sacrosanctæ à vehementi, & enarrabili percusione contusæ fuere.

&ex

& ex contusione liuor ortus fuit; ibique resoluto calore perfrigeratus condensatusque fuit. Et nō solùm (existimo) quòd liuor Corporis Christi fuit in superficie corporis, quæ oculis obijcitur; sed in superficie concaua corporis. Illud enim Esaiæ Prophetæ: *A plāta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas, vulnus, & liuor, & plaga non est circumligata.* Non solùm meo videri est intelligendum de plaga vulnere, & liuore externo, siue cutaneo, sed de interno facto in partibus concauum corporis sacrosancti circumscribentibus. Hoc enim multoties constat experientia à ictu & casu, vel percutione maiorem præsentiri dolorem in partibus internis, quam in externis, quæ percusæ fuere. Et ratione constat, quia natura cùm ad partem percusam corroborandam mittat sanguinem, & spiritū, & multoties mittat (vt solet) cœco impetu ad percusas & circumvicinas; & cùm Christi sacrosanctum corpus vehementer fuerit flagellatum; & ita inique, non solùm philosophare possumus, quòd partes externæ percusæ fuere, sed internæ. Non enim tantummodo corpus sacrosanctum fuit percusum, sed repercusum. Motus enim repercusiuus, vt ex Philosophia constat duobus, constat ictibus primò & secū-

do: primus oritur ex intentione agentis, percutientis, & ferientis: secundus oritur ex vehementia impulsus, & resistentia corporis percussi, vt ex ictu maleoli super ferrum, lapidem, vel aliam rem duram, & ex pulsu bisferienti constat. Et quamuis sit verum Corpus sacrosanctum Christi naturaliter, hoc est, in statu salutis non esse durum, imò molle, & delicatum, tamen quando flagellatum fuit, cum macie vehementi fuisset affectum orta ex quadragesimali dierum & noctium ieiunio, & ex vehementi vitalium spirituum resolutione, orta ex vehementi imaginatione de futura, terribili, & ignominiosa passione & morte, mœrore (ferè) erat Corpus totũ sacrosanctum affectum. Ossa enim, & nerui cute ferè solum cooperiebantur, & ita ex resistentia, & simul in modico impulsu corpus percutiebatur & repercutiebatur. Ita vt quælibet verberatio duplex esset verberatio. Et coniecturare possumus decem millia fuisse verbera, & partes internas Liuore, plaga, & vulnere, ac externas affectas fuisse.

CAPVT XI.

De Vlceribus vexicarum turgentium.

INTER affectus cutaneos vexicarum turgentium Vlcera adnumeratur. Puniuit Dominus Ægyptios quibusdam Vlceribus vexicarum turgentium. Exod. cap. 9. *Factaq; sunt Vlcera vexicarum turgentium in hominibus & iumentis, nec poterant malefici stare coram Moyse propter Vlcera, quæ in illis erant.* Quæ Vlcera sint ista ad nos attinet perquirere? Pererius inquit fuisse quosdã tumores excitatos in cute à calore eleuante, ac resoluente, qui continent humores aqueos resolutos à calore ignis ex partibus carnis subtilioribus, & delicatioribus. Deinde calore magis siccante cutis hominum, & animalium consumebatur, ac denique rumpebatur, quæ ruptio carnis dicebatur vulnus. Post rupturam autem cutis caro illa apperta, & hians paulatim putrescens, & consumpta fiebat Vlcus. Cornelius à Lapide tenet, non fuisse aliud, quàm ipsa Vlcera ardore, & sanie turgida, & tumentia, quæ magno dolore cruciabant Ægyptios. Hoc confirmat ex Iosepho, qui

Exod. c. 9. v. 10.

qui dicit exulcerata fuisse intus in cute corpora Ægyptiorum.

At vt paucis dicatur, nobis videtur asserere esse Herpetem talia Vlcera; Herpes enim inflā-matio cutanearum partium est, cùm vlceribus paruissimis, & speties quædam Erysipellæ est, cùm qua conuenit in cutis inflammatione, & differt ab Erysipella; quia in ipsa non est necessarium, vt cutis vlceretur: benè autem in Herpete; & quòd per totam corporis superficiem, vel cutim extendatur, ita vt ad modum serpentis, huc & illuc videatur serpere. Cornelius Celsus lib. 5. cap. 28. duas tradit Herpetis speties, quædam quę milliaris vocatur; quia Vlcera per milliaria solent apparere, & vexicę quædam huc & illuc prorrumpentes, siue turgentes videntur. Et quædam maligna vocata, excedensque vlceram in cute profundiorem facit.

Ex quibus, & ex sacris relatis verbis, scilicet, *vexicarum turgentium*. Constat quòd Ægyptij affecti fuerunt duabus differentijs, vel spetiebus Herpetis, nempè milliari & maligno: nam milliaris vexicas habere huc illucque decurrentes petit. Et ipsi Ægyptij vexicas decurrentes, vel turgentes habuerunt, necnon vlcera maligna (etsi cutanea) profunda, hoc constat: Nam ob

ip-

ipsorum vlcerum malitiam coram Moyse stare non poterant. Et illa verba cap. 28. Deuteron. *Percutiat te Dominus vlcere Ægypti*. De his vlceribus vexicarum turgentium videtur intelligẽda esse. Quod confirmare videtur Philon, qui inquit, vnum Vlcus à vertice, vsque ad fines pedis, eisque sparsum membratim erat, continua serpigine in vnum vlcuscula coeuntia. Et intelligenda esse verba eiusdem cap. *Percutiat te Dominus vlcere pessimo in genibus, & in suris, sanarique non possis à planta pedis, vsque ad verticem tuum.*

Deuter. 28. v. 27.

Ver. 35.

CAPVT XII.

De Ardore.

ARDOR Vehemens, calor, siue incendiũ est: affectus est communis omnibus corporis partibus cuiuscumque temperiei sint. Sic Plinius lib. 14. cap. 16. In corporũ ardoribus refrigerationẽ necessariã esse ait. Verũ nõ quilibet ardor est febris; bene verò è cõtra, quælibet febris est ardor. Quodlibet mẽbrũ potest affici ardore independenter à corde; non verò quodlibet mẽbrũ potest affici febre indepẽdenter à corde, quòd vt sit febris pars primario affecta est.

Apud

Leuitici, c. 26. v. 16. Apud Leuiticum cap. 26. punit Deus: *Ægestate & ardore, qui conficiat oculos vestros, & consumat animas vestras.* Septuaginta vertunt; obfirmabo super vos festinationem, & ægestatem, & scabiem, & icterum. Batablus. Visitab vos terrore, tabe, vel pthysi, & febri ardente, quæ oculos consumat, & animum contabescere faciat.

Non inuenio aliquam fundamentalem rationem, vt existimem, quòd nomine ardoris intelligitur icterisia, siue alio nomine morbus Regius. Nā icterici, prout icterici nullum persentiunt Ardorem. Nihil enim est icterisia, quam obstructio meatus ipsius vexicæ felleæ, quæ hepati adhæret, quæ cùm non benè expurgatur per ventrem, & vrinam ad habitum totum corporis bilis expellitur. Et quamuis natura sua calida & sicca est, Ardoremque potens causare: tamen quia tota illa portio bilis in ictero non est vnita, sed per totum corpus sparsa. Hinc est, quòd neque Ardorem, neque rigorem, etiam si per carnosas transeat partes, neque febrem causat. Neque quia dicato; Ardore qui conficiat oculos vestros est intelligendum de icterisia, in qua oculi afficiuntur: nam intemperies calida oculos ipsos afficit, ita vt lucem aspicere non

pos-

poſsint, & tamen non ſunt icterici.

Dico ergo, quòd nomine Ardoris eſt intelligenda intemperies calida morboſa, totius corporis citra febrem, vt infatigatis ex vehementi labore, ex nimia inſolatione, & ex alijs huiuſmodi rebus maximopere ardere facientibus. Hoc cõſtat ex cap. 29. Deuteron. in quo offenduntur Solis Ardore. Ardor igitur ſemper habet adiunctam aliquam ſiccitatem tactum ſtimulans, & moleſtans: non enim quilibet calor etiam ſi ſit moleſtans poteſt cauſare Ardorem. Nam ſi ex humida ſubſtantia pullulet, nullatenus poterit cauſare Ardorem; ſic enim illa, quæ ſicciora ſunt, vt ſtupa, ſi ad ignem applicemus, non calefieri dicimus, ſed ardeſcere, & flammã ſplendidiorem eleuari videmus. Vnde illi, qui conceperunt Ardorem, hoc eſt, affecti fuerunt Ardore, ſiue à cauſa interna, vt ſanguis, ſiue ab externa, vt Sol, nullum tam efficax, & tam promptum potuerunt adinuenire remedium, quam ipſa totius corporis ventilatio, vt per poros Ardor exhaletur, & aere externo ambiente Ardor remittatur. Quòd quidem cõſequi videtur denudatis veſtibus, vt aer immediatè ſua perfrigerante qualitate, tactum afficiat, & delectet. Qui enim Ardore afficitur denudatur à veſti-

vestimentis, vt Ardor, aeris perfrigeratione minuatur, siue remittatur, & qui Ardore afficitur, & simul ægestate (cum paupertas vestimentorum defectum dicat) non habet, vt denudetur vestimenta, ipse est nudus, & quamuis melius perfrigerabitur, tamen cœteris paribus magis præsentietur Ardor in homine ægestate, & paupertate pleno, quam in homine, qui Ardore affecto (vt medella ad suum incendium) vestimenta separat; qui enim nudus est à tali medella priuatur.

CAPVT XIII.

De Tumore.

Esaias c.1. v.6. ESAIAS cap. 1. hæc dicit: *A planta pedis vsque ad verticem, non est in eo sanitas, vulnus liuor, & plaga tumens non est circumligata.* In hoc cap. aliquid est agendum circa illa verba: *Et plaga tumens.* Nicolaus de Lyra per talem plagam superbiam intelligit. At nos Medici loquendo aduertimus, quod Chirurgè, vt Guido, Fallopius, Pareus, Forestus, Daza, Fragoso, & alij, habent nomina particularia, quibus significant, id quod in corpore dis-

con-

continuum est. Sicuti enim solutio continuitatis, quid genericum est, & commune vulneri, & vlceri; nam vulnus solutio continuitatis est recens, & simplex cum sanguine fluente, sine accidentibus, quæ solent superuenire, & vlcus solutio continuitatis est antiqua, vel si non antiqua cum substantiæ amissione, vel de perditione tumore, vel dolore. Sic hoc nomen plaga in sacris Literis, quid commune est, cuilibet solutioni continuitatis, siue sit recens, siue antiqua, siue simplex, siue composita: Plaga etenim tumens non est vulnus simplex, sed compositum; quia Tumor in quacumq; parte fiat, siue sit vulnerata, siue non, fluxionem sanguinis præsupponit à quo quidem pars per ipsius aduentum extenditur, adimpletur, & in Tumorem eleuatur. Sacrosanctum enim Corpus Christi (de quo relata Esaiæ Prophetia intelligitur) vulneratū fuit, & plagatū à verberatione iniqua hucusq; visa, neque audita. Ob cuius causam sanguinis fluxit copia, & vulnera, siue plagæ tumefactæ fuerunt; ita vt vulnera, quæ ex sua natura propter admirandam complexionē, & sanguinis Sacrosancti benignitatem simplicia esse petebant, erāt composita ab immodica percutione, repercutione, & contusione, & in Tumorem eleuata.

CA-

CAPVT XIIII.

De Delicatione.

DELICATIO Affectus est communis, non solùm cuti, sed cæteris partibus, & ita meritò in præsenti de ipso agimus. Aliqua in sacris Literis de Delicatis reperiuntur testimonia, vt lib. 2. Reg. cap. 3. ad finem loquens Dauid: *Ego autem delicatus, & vnctus Rex*, Lyra, idest, tener in prima ætate, & primis Regni sui annis. Et lib. 1. Paralip. cap. 22. loquens de Salomone filio suo. *Salomon filius meus puer paruulus est, & delicatus*. Et Deut. cap. 28. *Tenera mulier & delicata*. Hierem. cap. 6. *Delicatè assimilaui filiam*. Et Danielis 13. *Porrò Susana erat delicata nimis & pulchra*. Maldonatus idem, dicit, est delicatus quòd imbecillis. Quibus (& alijs plurimis) locis delicatum corpus dicitur esse, vel quia teneræ ætatis sit in infantia, vel pueritia constitutum, vel quia naturali constitutione, parum resistens sit causis externis morbificis. Mulieres enim, vt in plurimum ita sunt, & non possunt iniurijs resistere externis, ex naturali sexus fœminei constitutione ad diuer-

2. Reg 3. c. 3. v. 39.

Lib. 1. Paralip. c. 22. v. 5.

Deuter. ca. 28. v. 56.

Hierem. ia, cap. 6 v. 2.

Danielis, c. 13. v. 31.

uersitatem hominum, qui vt plurimum fortiores sunt. Non enim implicat, quòd mulier sit fortis, & ad resistendum fortior aliquo viro, sicuti vir imbecillior fœmina, vt in plurimũ mulieres teneræ, & delicatæ sunt, sicuti pueri, qui propter maximam humiditatem membra ipsorum carent robore, & fortitudine ad actiones valentiores faciendas, paratioresque sunt ad febres putridas, & ad alios morbos pendentes ex humorum fluxionibus.

Hæc enim delicatio non est quid præternaturam, nam neque est morbus, neque morbifica causa, neque synthoma; est tamen dispositio morbosa, vt faciliùs in morbos incidant, quia natura vel morbo delicati sunt, etiam si à causa externa ipsa delicatio ducat originem, vt colligitur ex morte Manasses mariti Iudith cap. 8. lib. Iudith, in quo ita legimus. *Vir eius fuit Manasses, qui mortuus est in diebus messis hordeaceæ. Instabat enim super alligantes manipulos in campo, & venit æstas super caput eius, & mortuus est.* Duo enim ex hoc loco colliguntur. Primùm, quantam nobis causæ externæ inducant iniuriam, cum mortem ipsam ita celerem valeant inducere. Ita vt putet Vallesius in sacra Philosophia circa hunc locum apoplexia mor- *Iudith c. 8. v. 3.*

tuum fuisse Manasses. Et secundùm, quòd Manasses erat delicatus; caput enim habebat debile, supposito quòd sufficiens fuit insolatio ad morbum, ita breuem, causandum.

CAPVT XV.

De Fatigatione.

QVOTIDIE Experimur viuentium corpora defatigari, non solùm quoad partes internas, hoc est, principes, sed quoad externas, nempè cutaneas. Et ita defatigatio definiri potest hoc modo: *Est quiescentia virtutis.* Quæ definitio optima videtur, quia comprehendit tam virtutes, quibus anima independenter à corpore valet operari, & illas quibus dependenter (quæ corporeæ vocantur) quia nisi in corpore suas exercere actiones, tales virtutes neutiquam possunt. Hinc est quòd defatigatio non solùm corpori, sed animæ conveniat. Constat enim quòd anima defatigatur ex 12. cap. 4. lib. Esdræ: *Ecce adhuc fatigatus sum animo, & spiritu meo inualidus sum valdè, & nec modica est in me virtus,*

tus. Tristitia enim, & timor, ira, & aliæ passiones animi affectiones sunt, nihil enim mirum, quòd defatigationem in spiritu contineant.

Quòd autem corporis virtutes defatigentur, constat ex omnibus facultatibus. Facultas enim animalis (de qua videtur quodammodo intelligendam esse hanc affectionem) defatigatur quando corpus musculos habet quiescentes, de quo Galenus 2. lib. de motu musculorum cap. 4. loquitur, & in senibus experimur, qui ob ætatiuam temperiem ita debilis est animalis facultas, vt moueri (nisi conatu) possint, & quietem ferè semper desiderent. De hac defatigatione videtur loqui Diuus Ioan. cap. 4. *IESVS ergo fatigatus ex itinere*. Faciebat itinera sua IESVS sine commoditate aliqua humana, pedester tam in hyeme, quam in æstate, cum alimentorum magna abstinentia, & ita necessarium fuit, quòd defatigaretur, & talis defatigatio animalis appellatur. *D. Ioan. c. 4. v. 6.*

Datur similiter defatigatio vitalis, quando scilicet cor (quòd principium vitæ est) patitur: vt ex quiescentia arteriarum (quæ ad motum cordis mouentur, & ab ipso originem ducunt) colligitur. Sunt enim pulsus parui, tardi, ra-

ri, atque debiles, vt in morituris, vel syncope affectis, vel in quibus cor opprimitur aliqua vehementi animę passione colligi posse videtur, secundùm illud Iudith cap. 7. *Et cum fatigati his clamoribus, & his fletibus lassati siluissent exurgens Osias infusus lachrymis.* Fletus enim cordis oppressionem denotat. Fatigatur similiter naturalis virtus in suis actionibus, nutritionis, generationis, & augmentationis, in attractrice, coctrice, retentrice, & expultrice, vt in famescentibus contingit, in quibus defectu alimēti omnes tres facultates relatæ, sunt quiescentes; quia omnes versantur circa alimentum; quando autem deficit alimentum, debilitantur, & defatigantur, vt 2. Reg. cap. 17. legimus: *Suspicati enim sunt populum fame, & siti fatigari in deserto.* Ex quibus constat omnes tres facultates principes nostrum gubernantes corpus defatigari.

Iudith c. 7. v. 22.

2. Reg. cap. 17. v. 29.

Verum quænam sit ex tribus vehementior defatigatio ad nos attinet patefacere; & vt ne tempus in vanum conteramus, dico breuiter, quòd fatigatio vitalis illa scilicet, quæ ad cor pertinet, est vehementior propter plurimas rationes. Illarum est, quòd cor inter cæteras principes corporis partes principatū tenet;

est

est enim fons vitæ, & vt aduertit Aristot. primum & vltimum moriens est. Vnde est, quòd accidentia semper sint maiora, & sæuiora, & quòd in curatione semper maiorem habeant difficultatem.

Sed percontauerit aliquis, quænam sit affectio præternaturam fatigatio? Respondetur, quòd fatigatio non est affectio præternaturam; nam intra naturæ limites corpora citra morbũ defatigari videmus, non tamen ex eo morbosa esse dicimus. Et ita defatigatio sine medicamine aliquo præter requiem, & rapuit quietem, & spirituum vitalium, & animalium regenerationem tollitur.

CAPVT XVI.

De Papula.

APVD Leuiticum cap. 14. & 22. Excluditur ad offerendam victimam Domino (inter alias affectiones) homo, *qui habuerit Papulas*, quas Hispano sermone, *Lobanillas* appellamus. Cornelius ex authoritate Batabli intelligit verrucas. Verum quia verrucæ raro intumescunt, ita vt deformitatem

Leuitic. c. 14. v 56. Cap. 22. v. 22.

teneant, non videtur intelligi de verrucis, sed de alijs tumoribus. Inter tumores, qui ad vniuersam cutim solent apparere, est Papula alio nomine (inter Chirurgos) Melliceris, cuius Virgilius lib. 3. Georg. mentionem facit. Apparet multoties in aliquibus in parua quantitate cuiusdam, verbi gratia, ciceris, & posteà paulatim per paulatinam congestionem crescit ad magnitudinem citonei, & multoties melonis. Caussatur ex humoribus pituitosis, crasis, viscidis, & glutinosis, & multoties apparet in ipsarum Papularum appertionibus, vel inscitionibus farena, mel, arena, gipcium, & alia huiusmodi, quarum rerum apud Chirurgos longa fit enarratio.

Verumtamem, quòd proprius significat hoc nomen Papula, sunt exantemata, vel tumores in cute sponte efflorescentes, vt Monardus de re Medica lib. 7. Epistolarum suarum. Epistol. 2. quorum morborum, vel accidentium nomina à nostris Recentioribus Medicis sunt recepta, & ab antiquis prodita, explicantur. Hac in parte Fuchsius de Omnibus bonis disciplinis, non secus meritus lib. 5. cap. 8. de curandis morbis secutus est: quamuis eruditissimus Franciscus Valeriola lib. 1. narrationum suarū

narratione 8. demonstrat, variolas, & morbilos in pestilẽtibus febribus, sæpe apparere per modum quendam indicij à Galeno exanthemata, non dici, neque esse herpetes, vt idem Monardus loco superius citato vult.

In duplici ergo differentia sunt hæ Papulæ, vel exanthemata, quędam sublimia, & cum tumore satis perspicuo, & apparente, præsertim circa augmentũ & vigorem ipsum; quæ dicũtur à barbaris Medicis variolæ, & ab Hispanis vulgati nomine dicuntur *Viruelas*. Alia exanthemata sunt lata, & sine sensili tumore, quæ à barbaris Medicis sunt morbili, & Hispanis *Sarampion*. Qua in re fallitur Leonardus Fucsius loco superius citato; & sensibus omnibus repugnat variolas latas esse, & morbilos sublimes. Neque enim illud docet Galenus com. 9. lib. 6. aphor. dicens Pustulas & Tubercula, quæ fiunt ab humoribus calidis in acumen tendere, & altũ petere; quæ verò à frigidiori latæ sunt, & non admodum pruriunt; quia fiunt ab humore non acri, aut minus acri, ideoque variolæ sanguineæ magis pruriunt, & sublimiores sunt ijs quæ à sanguine pituitoso fiunt. Morbili tamen à biliosissimo sunt sanguine, & ob id minimè petunt altum, nullumq; habent sensilem

tumorem; quemadmodum herysipellas; sanguis enim maximè biliosus in hac cutis affectione maculas & pustulas publicum morbibus similes procreat latas, & non sublimes; maiores tamen, latiores, & rubicundiores ijs, quę fiunt in pestilentibus, & maximis febribus. Hi morbili sponte in cute erumpentes, breui tempore euanescunt, nulla relicta vlceratione, quod in variolis non contingit, quia non solùm cutis vlceratur, & fœtor ex purulentà materia reperitur adeò magnus, vt maximopere offendat, sed cicatricem inducit maximam, quæ maximopere fœdationem causat. De his igitur affectionibus, scilicet, de variolis, & morbilis existimo proprius esse intelligendum testimonium relatum Leuitici sub nomine Papulæ; quia vt ex omnium Medicorum constat consensu, contagiosæ sunt affectiones, & ita meritò, qui apprehensi erant, excludebantur, vt Deo offerrent victimas.

CA-

CAPVT XVII.

De Ebrietate.

IN Hoc opere sumpsimus initium à morbis capitis cutaneis, & posteà per cœteros cutaneos totius corporis migrauimus ad eos, qui in sacris Literis referuntur. Nunc autem redimus ad capitis morbos internos, & posteà ad cœteros affectus ad suas cauitates, & partes pertinentes.

Agimus primo loco de Ebrietate, quia ex affectionibus capitis internis leuissima est. De ipsa quam plurima sunt in sacris Literis, in quibus de ebrietate, & ebrijs agitur. At ne tempus in ipsorum infructuosa enarratione conteratur, solùm illa præscribam testimonia, quæ ad Philosophiæ, & Medicinæ institutum pertinere videntur.

Primum erit Ecclesiastici cap. 31. *Diligentes in vino nolli prouocare: multos enim exterminauit vinum. Ignis probat ferrum durum; sic vinum corda superborum arguet in ebrietate potatum. Aqua vita hominibus in sobrietate; si biuas illud moderatè, eris sobrius. Quæ vita est, quæ mi-* *Ecclesiastici, cap. 31. v. 4.*

nui-

nuitur vino? Quid defraudat vinum? Mors vinum in iocunditatem creatum est, & non in ebrietatem ab initio. Exultatio *animæ & cordis vinum moderatè potatum. Sanitas est animæ, & corpori vinum moderatè potatum, irritationem & iram, & ruinas multas facit. Amaritudo animæ, vinum multum potatum. Ebrietatis animositas, imprudentis offensio, minorans virtutem, & faciens vulnera.* Lyra & cæteri Expositores explicant hunc locum, vt sonat specialiter de ebrietate circa potum. Similiter

Prouer.ca. 20.v.1. Prouerb.cap.20. *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas, quicumque his delectatur, non erit sapiens.* Et cap 31. *Noli Regibus, ò Lamuel, noli Regibus dare vinum, quia nullum secretum est, vbi regnat ebrietas.*

Iudith cap. 13.v.4. Et Iudith cap.13. *Vt autem sero factum est festinauerunt serui illius ad hospitia sua, & conclusit Vagao hostia cubiculi, & abijt; erant autem omnes fatigati animo. Porrò Olofernes iacebat in lecto nimia ebrietate sopitus.* Similiter cap. 19. Genesis.

Genesis ca. 19.v.32. *Ascenditque Loth de Segor, & mansit in monte. Duæ quoque filiæ eius cum eo (timuerant enim manere in Segor) & mansit in spelunca ipse & duæ filiæ eius cum eo. Dixitque maior ad minorem: Pater noster senex est, & nullus virorum remansit in terra, qui possit ingredi ad nos iuxta mortem vniuersæ terræ. Veni inebriemus eum vino, dormiamusque cum eo, vt seruare pos-*

possimus ex patre nostro semen: Dederunt itaque patri suo biuere vinum nocte illa, & ingressa est maior, dormiuitque cum patre: At ille non sensit, nec quando accubuit filia, nec quãdo surrexit. Et deinceps: *Dederuntque patri suo biuere vinum, ingressaque minor filia dormiuit cum eo, & nec tum quidem sensit quando concubuit: conceperunt ergo duæ filiæ Loth de patre suo.* Cornelius à Lapide dicit, quòd Loth tristissimus erat ob bonorum omnium amissionem: ideòque paulò largius biuit ad leniẽdam mœstitiam, non tamen ita vt putaret se tumulẽtum fore. Tristes statim capiuntur vino; quia anima intenta in obiectum, vi imaginationis attrahit ad caput plus quam attrahere debet; ideò occupato cerebro præ nimia tristitia dormiunt. Vel fortè labore itineris Loth exolutus fuit, & pre cerebri debilitate vini vapores cerebrum occuparunt. Vel Loth non erat assuetus vino. Vel fortè vinum, quòd emerat in Segor cum cœteris victualibus ad aliquot dierum victum, erat solito potentius, ita vt Loth opprimeret, & non sentiret.

Sed audiamus Sanctos Patres, quid de volũtaria ebrietate dicant. Sanctus Basilius hom. in ebrietatem. Est dæmon volũtarius, malitiæ mater, virtutis inimica, fortem virum reddit ignauum,

uum, ex temperante facit lasciuum, iustitiã ignorat, prudentiam extinguit. Quid quæso sunt ebrij, aliud quam gentium idola? Oculos habent, & non vident. Audi sanctum Ambrosiũ cap. 16. de Elia, & Ieiunio. Est fomentum libidinis, incentiuum insaniæ, venenum insipientiæ. Per ebrietatem homines vocem amittunt, colore variantur, oculis ignescunt, ore anhelant, fremunt manibus, in furore ardescunt. Sanctus Hieronymus cap. 5. ad Galatas; Homo ebrius est homo, nec mortuus, nec viuus. Sanctus Chrysostom. hom. 57. ad populum. Ebrietas est Dæmon voluntarius, mortuus animatus, morbus veniam non habens, ruina excusatione carens, commune generis nostri opprobrium: vbi ebrietas illic Diabolus, ibi turpia verba, ibi saturitas, &c. Seneca Epist. 83. Ebrietas est voluntaria insania. Quibus suppositis tria videntur ex dictis testimonijs colligi posse. Primùm, quid sit, & in quo cõsistat ebrietas? Secundùm, inutilitates nimiæ potionis vini. Et tertiùm, vtilitates moderati vini vsus.

Medicè igitur poterit definiri ebrietas ita. Est affectio præternaturam, in qua sensus interni, & externi sunt quiescentes. Quòd sit affectio prçternaturam constat; quia nulla actio animalis

dis liberè, & benè exerceetur. Est enim affectio partium organicarum, quia viæ per quas spiritus confluunt ad actiones, sensationesq; necessarias sunt impeditæ ab immoderato vapore ex vino epoto eleuato. Vnde cum causa continens huius affectionis sit. Vapor ablato, resolutoque vapore statim animal se expergiscit, & ita si vapores sint multi, & valdè crassi maximopere obstruentes, maximopere ebriosa affectio durabit. Et quòd sensus interni, & externi sint quiescentes patet: nam tales quantum ad motum sunt veluti apoplectici. Iam enim vidi hominem, ita ab ebrietate immobilem, vt existimarem ego, & alij Medici esse apoplecticum. Ita vt nullatenus sentiret fortissimas ligaturas in cruribus positas. Reperitur igitur in aliquibus ebrijs somnus, & in alijs sopor. In illis tantummodo vapores impediunt actiones animales, & in istis (præter vapores) cerebrum excrementitia humiditate irrigatur, & ita soporosi, siue vigilandi impotentes fiunt.

Circa hunc punctum aliquis dubitare poterit, cum causa immediata ebrietatis sint vapores, & mediata sit vinum potatum; quòd nam vinum magis ebriosum faciat hominem, an simplicissimum, purum, & impermixtum, &

for-

fortissimum; an verò vinum cum aliqua aquæ portione permixtum? Si experientiæ attendimus impermixtum, purum, & forte vinum ebriosiorem reddere hominem, vinum autem aqua dilutum, nullatenus talē causare affectionem inuenimus. Si verò rationi videtur, quòd citiùs, & promptiùs, vinum cum aliqua aqua dilutum causare debet ebrietatem. Constat autē quòd accidens proprium ebrietatis est somnus, & quòd somnus ab humiditate adiuvatur. Lethargus enim, qui affectio soporosa est, & à causa (etiam si calida) humida causatur. Restat igitur concedere (si verum est, quòd ebriosus ab humiditate supra cerebrum premitur) quòd ad ebrietatem aliqua est necessaria humiditas, & quòd vinum aliquâ aqua dilutum (verbi gratia, decima, vel duodecima parte) faciliùs disponet cerebrum (quòd pars affecta in ebrietate est) ad inducendam ebrietatem.

Verumtamen dico, quòd somnus non est signum passonomonicum ebrietatis; benè verò est illorum signorum, quæ solent contingere. Si esset signū passonomonicum (hoc est inseparabile, vt accidens proprium) nullum inuenerimus ebrium sine somno, & cum quotidie

dic inueniamus multos deambulantes, loquentes, ſaltantes, gaudentes, ridentes, triſtantes, & alia multa facientes, exiſtimandum eſt, quòd non ſemper ſomnus ebrietatem concomitatur. Quando homo fit ebrius à vino puro, forti, & ſincero, vel à potione aquæ vitæ, tunc temporis nullatenus ſomno apprehenditur, niſi habeat in cerebro multam humiditatem; potiùs enim iracundus, & terribilis (vt locus Eccleſiaſtici narrat) fit; quando verò non ita eſt vinum, ſed mitte, dulce, & ſuaue, habens ſecum aliquam humiditatem intrinſecam, vel extrinſecam, tunc temporis homines ex nimio potu obdormiti iacent, vt Iudith de Olophernes, & liber Geneſis de Loth narrat. Et ratio eſt, quia à nimia humiditate, qua cerebrum irrigatur, Spiritus animales, qui in continuo motu ſunt, obſtupefiunt, & quieſcunt, & ita inhabiles redduntur ad deuorandos, vel reſoluendos, conſumendosque vapores, quibus caput eſt repletum. Sic ergo iacentes immobiles, fatigati, ac ſi ſpiritibus vitalibus carerent ſopiti iacent; ita vt nec vocem, nec ſtrepitum, nec dolorem perſentire poſsint.

58 Alia difficultas ſe offert deſumpta ex experimẽto. Cõſtat quòd interdomiẽdũ ſomniamus,

& quòd transacto somno narramus illa, quæ somniata fuere, vt in sacris Literis, de quāplurimis insomniorum significationibus est videre; quando verò ebrius expergefactus est, nullatenus de insomnio aliquo recordatur. Dubitatur an ebrius in somnis afficiatur, & si afficitur, cur non recordatur?

Huic dubitationi respondeo non posse negari ebrium insomnijs carere. Vbi enim non deficit causa efficiens, & materialis, & conditiones sine qua non necessarium est, vt consurgat effectus. In ebrij cerebro sunt species sufficienter aptæ, vt excitentur, & vapores multi, videtur enim debere insomniare. In febribus putridis contingit ægrotantes à plurimis, & diuersis affici insomnijs, propter dictas causas nemini igitur erit dubium, quòd ebrij quamplurima habent insomnia.

Rationem verò, quare ebrij posteà in vigilia insomniorum non recordētur, reddit Galen. lib. 2. de motu musculorum cap. 6. & dicit hæc verba: Si itaque insignes impressiones rerum, in imaginibus acceperit conseruat perpetuò; atq; id quidem est memoria tenere; sin verò obscuras, & penitus superficiarias non conseruat, & hoc est obliuisci. Et ob hanc causam in ira, curis,

ris, ebrietatibus, timoribus, phrænitidibus, & omnino in animi affectibus, vehementibus nullius eorum, quæ egerit in posterum amplius meminerunt. Itaque duas videtur Galenus insinuare causas, propter quas res præteritæ non recordentur. Prima est, nimia animæ distractio circa vehemens aliquod obiectum, valdè apprehensum; anima tota est intenta circa illud obiectum, & distrahitur à cœteris, vt in ira, & cœteris animæ passionibus vehementibus, nullatenus recordatur homo illorum, quæ fecerat, vel locutus fuerat. Secunda est, quando (etiam si non sit distracta anima) est impedita, vt in ebrijs, & quamplurimis febribus continentibus contingit; quia species, quæ excitantur, sunt tot, vt non possit præ ipsarum multitudine, & vaporum copia, qua cerebrum grauatur aliquam attendere spetiem, vel comprehendere, siue cognoscere, ita vt actu reflexo recordetur. Et ita quanto homo ebrior fuerit, siue soporosior, siue iracundior nihil eorum, quæ egerit, vel somniauerit, recordatur. Ex quo enim sequitur, quòd quando duæ filiæ Loth dormierunt cum patre suo, & concubuerunt cum ipso Loth, nullatenus de tali re in posterum recor-

datus fuit; quia à vaporibus vini cerebrum nimis pręmebatur, & ab ipsius humiditate irrigabatur, ita vt in ipsarum concubitu non sentiret.

Verumtamen luxuriosum esse vinum, & hominem in ebrietate coire, & nihilominùs non sentire, aliquam ingerit difficultatem. Cornelius cum Caietano dicit, quòd aliquis fuit sensus in Loth durante coitu, sed confusus sopitus, & perturbatus; qualis esse solet in dormientibus, maximè semisopitis, & semivigilãtibus, qui non fuit sufficiens ad sentiendum, neque ad cognoscendùm Loth filias, earumq; accessum, & recessum.

Audiamus quid dicat Galenus de coitu ebriorum lib. 10. de Vsu partium cap. 10. dicit, quòd ebrij coeunt, & quòd semen ad generationem est vitiosum: At tamen non reddit rationem, quare sine sensu coeant, & in filijs, quos filiæ Loth conceperunt nullum vitium in ipsorum conceptione, & formatione ortum ex semine Loth potuit assignari. Esset enim coitus actus meræ naturæ non animalis. Non enim plantæ, in quibus anima vegetabilis reperitur coeunt, coeunt tantummodo animalia, in quibus sensus, & motus reperitur. Quicum-

cumque igitur animalis actus, non fit nisi propter finem, & ad finem cognitio est necessaria, & ad cognitionem sensuum externorum sensatio. Videtur igitur, quòd non potest homo coire, nisi prius ab appetitu stimulatus, conuenientiam coitus percaleat. Igitur quando dicit Galenus, quòd ebrij coeunt, sensatio requiritur. Inter ipsos fuit Loth, cuius semen non vitiosum, sed vtile, prolificum, & fœcundum fuit, vt Moab, & Amnon filij eius, & filiarum suarum testantur.

Pro cuius indaganda veritate aduertendum est, quòd in animali sunt actiones, quæ tantummodo naturæ debentur, vt attrahere, retinere, & expellere, vt in plantis experimur trahentibus, & retinentibus ad ipsarum nutritionem, vtile, & excrementitium, & inutile expellentibus. Alię sunt actiones merè animales: illæ scilicet, quæ sine adminiculo naturæ fiunt, vt videre, audire, & alia huiusmodi: nam tantummodo ex obiecti præsentia, informationeque media speciei potentię fit sensatio. Et aliæ sunt actiones, quodammodo mixtæ ex animali, &

naturali, in quibus naturales vires non sufficiunt sine ope, & adminiculo animalium. Neque è contra animales sine iuvamine naturalium, & ita in istis concurrit superior potentia; & inferior, quæ naturæ est, ipsaque suis instrumentis vtitur, quæ sunt in ministrantibus fibræ, rectæ, transversæ, & obliquæ, vt in actu deponendi excrementa est videre: non enim fit expulsio, nisi prius fiat irritatio, quam tactus, statim percipit, & media spetie cognoscitur, & ex ipsius cognitione appetitiua consurgit, ad cuius obedientiam assistunt instrumenta animalis facultatis, quę musculi sunt, qui ad motum passiuè tantummodo se habent, & medijs ipsis, & fibris fit expulsio, & ex istis actionibus compositis aliquæ sunt: in quibus animales vires magis elucescunt, & aliæ, in quibus naturales.

His suppositis existimo, quòd coire actus animalis est, & quòd est actio mixta ex naturali, & animali, & quòd est illarum, in quibus natura magis eluscescit, & minus animalis virtus. Quòd sit coire animalis actus constat; quia solum datum est animalibus, vt medio semine effuso in vase fœmineo fiat con-

conceptio, speciérumque multiplicatio, & propagatio. Quòd sit actio mixta, constat; nam sanguinem attrahere testes, ipsumque detinere in semen conuertere, concoquere, atq; perficere, & vltimo expellere actio naturæ est. Quòd verò ad ipsius expulsionem non solùm vtatur fibris, sed musculis, qui instrumenta sunt facultatis animalis membrum virile erigentes, implendoque, ipsum flatibus, vt maior (facta extensione) fiat secundùm trinam dimentioné, longitudinem scilicet, latitudinem, atque profunditatem, vt vulua fœminea instrumento adaptato per omnes confricata partes, ampliùs ad appetitum excitetur, & delectetur, irritationemque factam à semine, in quanto, vel in quali cognoscere sit munus facultatis animalis constat. Et quòd in coitu vegetandi facultas vigeat, potiùs quam sentiendi constat. Nam interdomiendum somno consueto naturali, in quo scilicet, etiam si sensus, & motus inuenitur, tamen ita est diminutus, vt etiam si moueat brachium, vel pedem non sit necessarium, vt animal à somno excitetur, seminis effusio contingit, & contenta est natura ad ipsius expulsionem parua illa sensatione, quæ interdomiendum

euenit, & inuenitur ad percalendam feminis irritationem. Et cum etiam si inter dormiendum sensus externi quiescant, non tamen sensus interni quiescunt. Hinc fit, vt consurgat, cœca illa appetendi facultas ad talem veneris actum. Loth enim cum multum accepisset à filiabus suis vinum (quòd valdè luxuriosum est) quia renes calefacit, & testes, quibus calefactis maior est attractio, quam pro necessitate ad ipsorum nutritionem, vnde redundare semen, vt si esset excrementum, & quòd pellatur, necessarium est. Nam etiam si à Medicis semẽ vtile excrementum appellatur, si detinetur, putrescit, & incommoda sicuti cœtera (& adhuc deteriora) causat excrementa. Nihil mirum quòd erectionem virilis membri (vt inter domiendum contingit) naturalem haberet (vel procuratam manuum tractationem filiarum, vel quia senex erat; quæ cũ propagationem desiderassent, nihil mirandum, quòd id omnibus modis, & diligentijs procurassent) & posteà semen emitteret, quòd cùm in vuluis filiarum suarum intrasset, naturalis consurgit conceptio. Et quamuis dicat Galenus, quòd semen ebriorum est vitiosum, non est intelligendum de Loth, sed vt inplurimum; quia scilicet præ nimio vini potu

par-

partes principes contrahunt debilitatem, & testes similiter debiles fiunt, & incapaces redduntur ad semen prolificum, & fæcundum generãdum. Non tamen implicat, quòd sit homo ita optimæ temperaturæ, vt etiam si sit senex semen prolificum, dum ebrius est, emittat. Si enim Loth pro tunc fuit ebrietate affectus; non tamẽ ideò homo vocari poterit ebriosus, sicuti qui immodicè, & frequenter vinum bibunt. Et ita vino epoto potuerunt renes, & testes calefieri, ita vt semen prolificum, & sufficiens ad generationem emitteret. Cum enim caput grauaretur, & excalfactum à vaporum calidorum copia haberet, non sensit, quando filiæ suæ erant in coitu, neque quando abierunt, vel surrexerunt; quia ad illum actum natura pauca animali vi est contenta. Erat enim anima Loth ad operationes perfectè obeundas impedita, non verò ad imperfectè exercendas, & ita ex nimia specierum excitatione, & ipsarum multitudine, etiam si cognoscebat ad excitandum appetitũ, vt suos eliceret actus, non tamen ipsas cognouit species perfectè, vt ipsius anima in ipsis intenta, quæ egit Loth, recordare potuisset.

Secundùm, quòd in hoc cap. ad nos attinet

ſcrutari eſt incommoditates vini. Prima & maior eſt, quòd vinum immoderatè potatum defraudat vitam. Verum quomodo id contingat non omnibus erit notum, & neceſſarium nobis erit oſtendere. Circa quòd eſt aduertendum, quòd vinum in ebrioſis eſt conſiderandum ſecundùm illam quantitatem excedentē, qua potatur, & ſecundùm qualitatem calefaciendi, & deſiccādi; nam tam ſecundùm vnam, quàm alteram infert noxam, & vitam tractu temporis defraudat. Lædit ſecundùm quantitatem, quia ventriculus impotens redditur circa illam. Omnis enim facultas cum finitæ, & limitatæ virtutis ſit, contenta eſt quantitate proportionata, & ita quāto facultas eſt potentior, tanto maiorem quantitatis proportionem poſtulat, & quanto remitior, minorem. Ergo neceſſarium erit aggrauari ab immodica quantitate facultatem? Ita igitur facultas concoctrix ventriculi aggrauatur, & impotens erit circa vini quantitatem immoderatam. Idipſum in Hepate contingit: Nam hepar ſanguificare non poterit tantam vini portionem. Neque venæ in quibus tertia celebratur coctio tantam ſanguinis vinoſi (imperfecti inquam ſanguinis) portionem continere, parteſque ad nutritionem
con-

consumere. Cum ergo nō possint necessarium est venæ nimis repleantur, & quòd ex nimia repletione nimis obstruantur, & quòd ex obstructione vētilatio naturalis impediatur; & ex hac impedita calor præternaturalis accendatur, & ex ipso putredo, & ex putredine morbus, & ex morbo actionum, vitalium, animalium, & naturalium læsio, & ex ipsarum irreparabili læsione mors. Secundùm qualitatem vinum similiter inebriosis vitam defraudat, quia cum omne agens, petat passum dispositum, vt agat, & calor naturalis sit agens medio, quo vinum debet actuari, & qui vinosi sunt, non solùm sunt contenti bibere vina communia, sed excellentia nimis & generosa, ad quorum actionem necessaria est excelentissima caloris naturalis actio, & multoties contingit, quòd exhibitum vinum inalteratū maneat, aut quòd in ventriculo corrumpatur, alienamque adquirat qualitatem, in acetumque conuertatur, & in toto corpore per omnes venas ipsam qualitatem, cœterisq; communicet partibus, multasque pro diuersitate temperaturarum partium pariat noxas. Quid enim mirandum, quòd vinum immoderatè potatum vitam defraudet, & consumat?

Circa præsens punctum quædam dubitatiun-

culū se offert. Experimento est compertū, quòd tales homines vinosi parum comedunt, pauco alimento sunt contenti; qui verò è contra solùm aquam bibunt, plurimum appetunt alimētum, ipsumq́ue digerunt, & consumunt. Dubitatur in præsenti in quo hoc consistat?

Circa quòd est aduertendum axioma in Medicina receptum, quòd ventriculus calidus magis concoquit, quam appetit; frigidus verò magis appetit, quam concoquit. Vnde qui immodicè vinum appetunt, vel epotant ventriculum habent calidum; & ita non appetunt alimentum, vt febricitantibus contingit, quibus nisi aliqua portio acidi humoris os pertingat, ventriculi statim alimenti appetentia defficit. Et ratio est, nam natura ad actum, quemlibet non solùm desiderat temperiem connaturalem, sed quòd pars sit benè corroborata, & quodāmodo vnita, & constricta. Os enim ventriculi, in quo actus appetendi elucescit, si nimis excalfactum sit à vino, vel à calore febrili laxatur. Fibræ etenim illius non habent illam corroborationem, & vnionem necessariam, quam à frigiditate habent; nam ab hac condensantur, & vniuntur; & ita os ventriculi corroboratur, & qui aquam bibunt, magis alimentum appetūt

in

in æstate enim contingit à vehementi æstus, calore alimenti appetentiam nullatenus fieri; si verò talis æstuosus homo aquæ refrigeratæ potum exhibeat, non solùm calor ventriculi temperatur, sed fibræ aliquantulum comprimuntur; & statim appetere alimentum, comedére q; incipit. Hoc enim præcipuè contingit in valdè biliosis, in quibus os ventriculi aliqua bilis portione irrigatum est.

Ex noxis, quas vinum immoderatè potatum facit (pareat Seneca, qui lib. de tranquilitate vitæ ad eam optinendam ebrietatem laudat, exemplo Catonis, Solonis & Archesilai, qui illi indulserunt, & hæc sunt tanti viri indigna verba. Nonnumquam, & vsque ad ebrietatem veniendum, non vt mergat nos, sed vt deprimat curas) vltima textus Ecclesiastici verba referunt; *vulnera sunt*, sed quomodo vinum faciat vulnera est declarandum. Constat experientia, quòd homines vinosi faciem rubicundiorem cæteris hominibus, vt in plurimum habent, & in labijs, & naribus exulcerationes apparent, & multoties in cruribus, manibus, & cæteris corporis partibus. Quia cum corpora vehementi vini potati calore adurantur, icores nimis calidos iecur procreat, quos ad dictas partes (quæ quia

in extremitatibus minor est noxa) transmittit, ibique multoties tumorositates cum exulcerationibus ; & multoties exulcerationes sine tumorositatibus causat, secundùm humoris, vel icoris crassitiem, vel tenuitatem.

Alia incommoditas intemperati vini potus est, quòd irritationem, & iram, & ruinas multas facit. Hoc similiter indiget declaratione, vt sciamus quomodo id contingat, vel fiat. Ad quod aduertendum est, quòd ad iram necessarius est nimis calor, viget enim in iracundis spirituum vitalium quædam flamma, quæ ex corde ad extra cum animo, siue imaginatione vindictæ intrepidè mouetur. Et si calori adiungatur, aliqua siccitas irritationē, & furorem causabit ; quia spiritus vitales, si nimis ignei sint, veluti comburunt totum corpus, & ita furorē concitant. Vinosi igitur homines calore, & sanguine abundant ; cum enim sanguis, & spiritus in animi affectibus materialis causa sint, quo tenuior, & calidior, magis parati ad iram, & irritationem debent tales esse. Ergo necessarium est, quòd ebrij ex quacumque rei disconuenientis apprehensione irascantur, temerarij que sint. Et vt clariùs sit effectus ebrietatis iram Dei prouocant Isaiæ 5. *Væ, qui consurgitis manè ad*

Isaiæ cap. 5. v. 11.

ebrie-

ebrietatem sectandam. Prouer. 23. *Cui væ, cui rixæ, cui foueæ, cui sine causa vulnera, cui suffusio oculorũ, nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* Quam plurima sunt in sacris Literis exempla. Noe vir perfectus ebrius nudatus à filio illusus est. Samson repletus vino per Dalidam hostibus traditus est. Holoferni ebrio caput à Iudith resectum est. Filij Iob dum vinum bibunt, ruina domus opressi sunt. Herodes inter pocula caput Ioannis Baptistę præscidi iussit. Alia innumera sunt exempla, quæ esset longum recensere, vt à vino immoderato omnes fugiant.

Prouerb. c. 23. v. 29.

Inter aliquas vini potus moderati vtilitates vna est, quòd anima & cor exultantur, & quòd sobrius potus sanitas est animi & corporis. Et ratio horum est: nam sicuti cor calefit à nimia vini potione, à moderata fouetur, & veluti à blandimento lætatur; anima enim similiter. Ipsa primo, & per se non lætatur vino, neque aqua, neque alijs rebus elementaribus, tangibilibus, & corporeis, neque minus à contrarijs tristatur. Sed secundario, ipsa enim ad suas exercendas operationes indiget corpore, & corpus ad actiones perfectè exercendas indiget optima temperatura, & calidi influentis sufficient

copia. Cum ergo ex moderato vino ſpiritus vitales generentur in proportione neceſſaria ad actiones; & calor vnius, cuiuſviſque partis foueatur à calore vini benè actuati, & proportionati, hinc eſt, quòd non ſolùm cor, & totum vniuerſum corpus à moderati vini actu delectetur, ſed anima ipſa lætatur, ſicuti ab immoderato quodammodo opprimitur, & triſtatur.

Aliæ multæ ſunt commoditates, tum & incommoditates vini: at qui inſtitutum noſtrum, non eſt ipſas ſcribere, & enarrare, omitto. Qui pulchra de his videre cupiet, legat Galenum, & paucis verbis Valleſium lib. 1. methodi medendi, & amplius non deſiderabit.

CAPVT XVIII.

De Sopore.

A Latinis idem eſt ſopor, ac ſomnus. Sic Cicero 1. de Diuin. *Cum iam quieti corpus nocturno impetu dedi Sopore placãs artus languidos.* Verumtamen non ſemper à Medicis pro eodem vſurpantur. Nam ſicuti ſomnus, & vigilia cõtrariãtur, ita Sopor, & pervigilium; ſomnus enim, & vigilia inter res non naturales col-

locatur, quia si ipsis modicè vtamur secũdũ naturã, & si immodicè præternaturã sunt, vt cibus & potus. At vero Sopor, & pervigiliũ absolutè sunt quid preternaturã, & sui reductionem, vel ablationẽ postulant, sicuti cætera synthomata. Somnus per actionum quiescentiam definitur sine impedimento ad vigilandum, imò cum aptitudine ad expergefaciendum à somno, sicut vigilia per ipsarum exercitationem cum aptitudine, vel propensione ad dormiendum; in somno sunt sensus ligati (vnde ab aliquibus somnus formaliter in priuatione consistere existimatur) vigilia etenim in actuali exercitio consistet. Igitur pervigilium, quòd per impotentiam dormiendi definitur; idem est, quòd vigilia sine propensione ad somnum, imò cum impedimento ad somnum à calore immodico, & multoties cum aliqua adiuncta siccitate, vt in febribus contingit multoties per plures dies nõ posse Medicos ægris conciliare somnum. Sopor est somnus grauis cum impotentia vigilandi à frigiditate causata, & multoties cum aliqua adiũcta humiditate, lentore, vel crassitie humorum, spiritus animales in cerebro existentes densantur, vel exitus ipsorum ad sensoria impediatur. Sicuti è contra in pervigilijs contingit, in qui-

Iere. ca. 1. v. 5.

Gen. 3. c. 2. v. 21.

quibus vapores calidi, acres, & mordaces valent attenuare spiritus animales, facultates mordere & irritare, ita vt præ nimia tenuitate exoluantur, vel præ nimia facultatis pellentis irritatione huc & illuc intrepidè, & inordinatè propellantur.

Quamuis à Medicis Pervigilium, & Sopor semper significant, quid præternaturam, tamen existimo, quòd in sacris Literis non ita sumitur Sopor, sed pro Somno magno, hoc est, intēso, quem grauem appellāt, cum difficultate expergefaciendi, vt Galenus in 3. lib. de morbis vulgaribus com. 3. videtur significare. Et in sacris Literis cap. 1. Ionæ Prophetæ legimus: *Ionas descēdit ad interiora nauis, & dormiebat sopore graui, & accessit ad eū gubernator, & dixit: Quid tu sopore deprimeris?* Et Genesis 2. *Immisit ergo Dominus Deus Soporem in Adam, cumque obdormisset, tullit vnam de costis eius.* Si ergo talis Sopor esset, vt in Medicorum opinione, vel significatione, quid præternaturam non diceret cum obdormisset, sed obtupefaceret, vel aliud simile Symmaçus, & Cornelius pro Sopore intelligunt grauem, & profundum somnum Adæ immisum fuisse, ad hoc vt non sentiret costam sibi detrahi, ne exhorresceret, & doleret. Et addunt in raptum, vel

Ionæ ca. 1. v. 5.

Genes. c. 2. v. 21

vel

vel extasim mentis fuisse portatum, vt mens eius non tantum naturali modo soluta, & libera esset à corporalibus sensuum functionibus; sed vt diuinitus eleuaretur, & videret ea, quæ generabantur, & spiritu prophetico mysterium per ea significatum. Videret, inquam, mentis oculis costam sibi eximi, & ex ea Euam formari, & alia multa mysteria, quæ referunt Sancti, vt Diuus Paulus ad Ephes. 5. August. lib. 9. de Genesi, & Bernardus serm. 2. de Septuagesima. In eadem significatione est locus 15. cap. Genesis: *Cumque Sol occubuisset Sopor irruit super Abraham.* Talis Sopor à Cornelio à Lapide partim fuit naturalis ex nimio labore diuturno occidendi, diuidendi, & sacrificandi victimas, partim fuit immissus à Deo, vt in extasim raptus Abraham videret posterum suorum in Egypto seruitutem. Vnde horrore, & angore correptus fuit. Ita Philon, Pererius, & alij. In eadem significatione Genesis 41. *Rursus Sopore depressus* (loquitur Pharao) *vidi somnium septem Spicæ pullulabant.* Similiter 1. Reg. cap. 26. *Tulit igitur David hastam, & sciphum aquæ, qui erat ad caput Saul, & abierunt, & non erat quisquam, qui videret, & intelligeret, & vigilaret, sed omnes dormiebant;*

Genes. c. 15 v. 12.

Genes 41. v. 21.

1. Reg. c. 26 v. 12.

 quia

quia Sopor Domini irruerat super eos. Ecce quomodo Sopor in sacris Literis nihil aliud significat, quam somnium grauem, vt in primo noctis somno, quando necessitas vrget dormiendi, contingit post laborem, vel exercitium, exhibita iam cœna, eleuatis iam ex alimento in ventriculo existente vaporibus ex vna parte, & ex alia attrahente ad interna natura (conante cõsumptum per vigiliã medio somno recuperare) spiritus, & omne illud, quod in sensorijs adinuenit, fit ita grauis, vt multoties hominem à somno non possimus excitare, neque media magna voce, vel strepitu; tunc enim temporis ille soporosus appellari poterit impropriè, hoc est, ac si esset soporosus. Ac si diceremus ita sunt causæ naturales somnum conciliantes naturalem, ita validum, & intensum, ac causæ præternaturales somnum Synthomaticum causantes, vt Iob cap. 4. significare videtur: *In horrore visionis nocturnæ, quando Sopor irruit super homines, & dormiunt in lectulo.* Ac si diceret quando homines iacent in lecto, & irrigatur cerebrum à rore ex vaporibus elatis causato tunc dormiũt ad modum Soporis, & est dulcis somnus; quia omnia sensoria reparantur. Tunc quando intenta natura in somno conciliando est, si excitatur homo

Iob c. 4. v. 3.

mo, verbi gratia, aliquo magno ſtrepitu ſentitur in viſceribus quædã diſplicentia, & in ſenſorijs quædam contriſtatio ex naturæ finis perturbatione, fractione, vel fruſtractione.

CAPVT XIX.
De Extaſi.

IN Cap. 3. Actum Apoſtolorum narratur miraculum Diui Petri, qui cum vidiſſet hominem claudum à natiuitate ſedentem ad portam Templi, quæ dicebatur ſpetioſa, ipſum ſanauit in nomine IESV, & cum gentes vidiſſent eum deambulantem, dicit Sacer Textus: *Impleti ſunt ſtupore & Extaſi.* Vnde nobis reſtat inter capitis affectus agere de Extaſi. *Actor. cap. 3. v. 10.*

Extaſis idem eſt, quòd extra ſe ſtare. Extra ſe autem ſtare, ſtat dupliciter. Primò naturaliter, & ſecundò violenter. Extra ſe ſtare naturaliter fit, quando circa aliquod obiectum bonũ anima diſtrahitur, taliter vt ſenſus cœteri quieſcẽtes (ſed non inſenſiles, imò intra ſenſus, non extra ſenſus ſpheram) maneant. Sicuti quando lapis, qui terræ centrum tangere deſiderat, & eſt in ipſius ſuperficie nullam patiens violentiam, eſt tamen etiam ſi in ſphæra terræ extra cẽtrum

quādo verò proijcitur ſurſum, talis motus violētus eſt, quāto à cētro diſtātior. Sic enim quādo extra ſe ita eſt homo vehemēti imaginationis actu, vt ſenſus violentiā patiātur, totaq; ſenſatio rapiatur ab internis, & externis ſenſibus, tunc talis paſsio nō eſt ſecundū naturā, ſed præternaturā vocaturq; raptus. Quia ſenſus deſtituti à ſenſatione quieſcunt. Arguit enim cauſā extrinſecā ſecundū illud 3. lib. Ethicorum cap. 1. cauſa extrinſeca violenter mouet, & paſſum nihil confert ad talem motum, imò repugnat. Et ita in raptibus ſpiritualibus cauſa reperitur ſupernaturalis, quæ ipſam animæ ſenſationē totā rapiat. Vnde exiſtimo, quòd quando homines viderūt portētū magnū Diui Petri impleti fuerūt ſtupore & Extaſi. Nō fuit Extaſis, quę raptum dicit, ſed Extaſis, quę ſuſpenſionē ſenſuum dicit, ſiue admiratio vehemētiſsima, quę diſtractionem animæ dicit pro re noua, quā intuebātur. Sic Epiphanius, Hieronymus, & Cornelius. Ita vt ſtupor & Extaſis idē ſignificet, quòd alienationē, vt neſcirēt, quid loquerentur. Hæc autem extaſis eſt naturalis, quia anima non ſe extendit vltra terminum, & ſphæram ipſorum ſenſuum, ita vt inſenſiles fiāt, & talis affectio nō eſt præternaturā, neq; in modo, neq; in termino

quia;

quia ſpiritus vitales non mouentur modo indebito naturæ, ita vt ex motu aliqua affectio præternaturam corpori reſultet, neque diſtractio animæ terminos naturæ pertranſit. Quando verò extaſis tranſit ad raptum (vt effectus à cauſa, vt inquit Caietanus) etiam ſi circa bonum contemplabile, nempè circa Deum, qui eſt ſummũ bonum, talis affectio præternaturam eſt, non in modo motus ipſorum ſpirituum, ſed in termino. Deus eſt finis, & vltimus terminus hominis, cuius contemplatio ſemper in ipſo debet eſſe intenta debito modo naturæ. Quando autem pertranſit terminum, & ſphæram ſenſationis conante anima bonum percalere, vel cum ſummo bono ſpiritualiter vniri, talis actio aucta eſt, & actiones auctæ præternaturales ſunt. Nam quamuis quoad actus entitatem dicant perfectionem, quantum ad terminos naturales intra quos naturaliter debent potentiæ ſuas actiones aſtringere, eſt preternaturam. Vt ſi aliquis homo videret per quam longiſsimè, ita vt nullus natus ad id viſu ſe extenderet, talis actio videndi eſſet actio perfectiua quantum ad actũ videndi; præternaturalis verò, quantum ad terminum. Non quòd homini ſecundùm, quòd animal eſt rationale, non ſit naturale ſummam

F3 Dei

Dei bonitatem, immensitatem, & cœtera attributa contemplare, & spiritualiter vniri (quantum ad spiritum spectat) cum Dei essentia non sit quædam animæ rationalis, vt rationalis est, naturalis propensio, & inclinatio. Quia tamen (etsi immortalis, & Dei imago) anima est virtutis finitæ, & limitatæ, & dum corpus informat alligata est virtutibus, hoc est, temperaturis pro diuersitate organorum finitis, quæ omnes ad suas eliciendas operationes sphæram petunt finitam, & limitatam, intra quorum terminos anima clauditur, necessarium est, vt dicamus, quòd quando ipsos pertransit præternaturaliter se habet in tali actione, quia totum esse sensibile, hoc est, totam sensibilitatem in percutiendam Dei bonitatem apponit, & cœtera sensoria insensibilia manent, vt Hermes Trismegister lib. 4. qui dicitur clauis interprete Francisco Patricio describit ita: Cognitio autem ipsius, & contemplatio est silentium, & omnium sensuum requies. Nec aliud quicquã potest intelligere, qui ipsam intelligit (loquebatur de diuina bonitate) neque aliud quicquam speculari, qui hanc vidit, neque de alio quoquam audire, neque omnino corpus mouere, omnis namque corporeorum sensuũ, & motionum quiescit correptio.

Re-

Restat nunc, vt ad extasim, vel raptum à dæmone factum accedamus. An scilicet possit dæmon extasim, & raptum in humanis corporibus inducere inuidia, vel odio veræ, & diuinæ extasis motus, nam alio fine, qui boni in se aliquid contineat, ipse neutiquam potest facere, & si primario aliquid boni videatur, secundario aliquid mali inuenietur, quòd in hominũ perniciem, & detrimentum sit. Sic enim Diuus August. lib. 14. de Ciuit. Dei cap. 24. narrat raros casus, qui magnam populo causabant admirationē. cuius verba in rem ita magnã volui scribere, vt philosophari possimus de possibilitate talium euentuũ, sic ait: Ipse sum expertus sudare hominem cum vellet. Notum est quosdam flere, cum volunt, atque vbertim lachrymas fundere. Iam aliud multò est incredibilius, quò plerique fratres memoria recentissima experti sunt. Præsbyter fuit nomine Restitutus in Parrochia Calamensis Ecclesiæ, quando ei placebat, rogabatur autem, vt hoc faceret ab eis, qui rem mirabilem coram scire cupiebant, ad imitandas quasi lamentantis, cuiuslibet hominis voces, ita se auferebat à sensibus, & iacebat simillimus mortuo, vt non solum bellicantes, atque pungentes minimè sentiret, sed aliquando

do etiam si igne vreretur admoto, sine vllo doloris sensu, nisi postmodum ex vulnere, non autem obtinendo, sed non sentiendo non mouere corpus; eo probabatur, quòd tanquam in defuncto nullus inueniebatur anhelitus; hominum tamen voces si clariùs loquerentur tanquam de longinquo se audiuisse posteà, referebat.

Tria in relatis verbis reperiuntur. Primum est sudor voluntarius. Ratione equidem miratur August. de Voluntario sudore. Nam sudare actus naturæ est, taliter vt non solùm homini, & cœteris animalibus conueniat, sed plantis, & adhuc lapidibus, in quibus omnibus natura ad extra pellit humiditates in visceribus contẽtas. Non enim concoquere pro voluntatis arbitrio quis alimentum potest, breuiori, vel longiori tempore, neque retinere, vel nutrire, vel cœteras actiones naturales exercere, quæ ad naturam pertinentes sunt. Ergo existimandum erit, quòd sudare hominem, cum vellit, arguit causam supra naturam, quæ citra dispositiones naturales antecedentes ad sudorem, tales humiditates ad habitum corporis commoueat. Dæmon enim id posse efficere nõ implicat. Applicare potest actiua pasiuis, ita vt mirabiles consur-

ſurgant effectus. Humiditates igitur poterit applicare, tali & tam debito modo partibus calore naturali præditis valente ipſas extenuare, vt cõſurgat ſudor. Ergo & talem ſudorem voluntarium, vel factum pro arbitrio voluntatis, nullam à voluntate habet dependentiam, à dæmone factum fuiſſe erit tenendum.

Secundum eſt fletus voluntarius cum veris lachrymis. Hoc enim non minus à ſupernaturali cauſa, nempè à dæmone factum fuiſſe exiſtimo. Talis enim fletus etiam ſi cum lachrymis non fuit verus, ſed apparens fletus. Requiritur autem ad verum fletum obiectum, triſte, & nouum, vt nouitate cauſet admirationem, & triſtitia homo contriſtetur. Et cũ in relato caſu deficeret obiectum tale, tenendum eſt fuiſſe fletum apparentem. Tùm, quia nõ omnis lachrymatio eſt fletus; benè tamen omnis fletus eſt lachrymatio. Conſtat hoc ex Medicinæ Principibus multos morbos ex ſeroſa pendentes materia per lachrymas terminatos fuiſſe. Ergo nõ quia talis homo lachrymaret, debemus dicere fleuiſſe. Cõſtat enim Hyuerno tempore præ nimia aeris excellente frigiditate humiditates ex venulis oculorum condenſatione exprimente, lachrymas ad oculos exire nulla precedente fle-

tus

tus causa. Tum & etiam, nam flendi actus secundum se sumptus (etiā si aliquid habeat voluntarij) iam æstimulanti appetitiua potentia præcedente stimatiuæ cognitione procedit, spiritus vitales commouentur; & talis motio, & humidi expulsio naturæ actus est, & flendi actus compositus (vt multi alij) ex animali & naturali, vt in Philosophia naturali sacrosancti Corporis Christi diffusè dixi cap. proprio de Christi fletu. Ergo existimandum est talem lachrymationem à Diuo Augustino relatam nō fuisse verum, sed apparentem, fletum, causatū; sicuti Sudor à causa supernaturali, quæ ipsam humiditatem, vel aqueum humorem in venis contentum, ad angulos oculorum commoueare potest. Non enim id dæmonis potentiæ implicat, & ita id dæmon effecisse, ita vt pro volūtatis imperio fieri videretur toties; quoties vellet, nullus erit, quòd neget.

Tertium est casus illius Præsbyteri nominē Restituti, qui ad libitū in præsentia multorum corpus suum marmoreum, & insensile redebatur. Plinius lib. 7. refert casum ferè huic similē. Lacomenium Hermatimum per aliquod temporis spatium iacere veluti defunctū, animāq; ipsius (& credebant astantes) relicto corpore va-

gari per diuersas partes, & posteà reuniri corpori, & narrare quæ videret in diuersis Regionibus. Existimo ergo hos, & similes raptus fieri à dæmone; animam enim nullatenus à corpore durante vita separari, semelque separatam, nisi Dei iusu ad manifestandam suam omnipotentiam, corpori non reuniri: & illa quæ posteà talis homo loquebatur, etsi sua propria lingua, commota tamen ad dearticulationem à dæmone, & toto illo tempore, quo veluti lapidei insensiles homines iacent, id non fieri extasi vel raptu verò, vt qui media contemplatione bonitatis, vel alterius Dei attributi fiunt, sed falso, & apparente facto à dæmone, qui actor mendacij est, & conatur homines fallere, vt in suis operibus admiratione affecti ad ipsum se conuertant, operibusque suis credant, & magni habeant. Ipse enim dæmon non rapit sanguinem, & spiritus, neque ipsos commouet naturali modo, ac in vera, & naturali extasi, sed apponit, vel applicat humores frigidos in aliquibus partibus, quæ veluti canales sunt ad motum, & sensum, & sua corporatura; tum & frigiditate intensissima corporem inducunt humores in partibus ipsis, quibus à dæmone applicantur, ita vt insensiles appareant, vel videantur, & quiescunt

vsque quo humores ipsos separet, & ad partes vbi noxam non inferunt retrahat, vel cum bonorum succorum consortio apponat, ita vt toto illo tempore in extasi gentes Restitutum extitisse crediderunt.

CAPVT XX.

De Fatuitate.

FATVITAS Idem est quòd insipientia, siue stultitia, & quos videmus affectos, Hispano sermone *Tontos* vocamus, vel alio nomine *Bobos*. De hac affectione reperio factam fuisse mentionem in 14. cap. Prouerb. his verbis: *Corona sapientum diuitiæ eorum; Fatuitas stultorum imprudentia.* Lyra in hoc loco dicit, quòd Fatui sunt, qui non prouident futura, & 16. cap. *Fons vitæ eruditio possidentis doctrina stultorum Fatuitas.* Dicit Lyra, quia de sacco non exit, nisi quòd intus habetur.

Prouerb. c. 14. v. 24.

Et cap. 16. v. 22

Sed nunc quid sit Fatuitas, & in quo consistat pro Medico instituto ad nos inuestigare attinet. Galenus lib. 2. de Synthomatum causis cap. 7. cum de Synthomatibus ad actiones rectrices pertinentibus agat. Dicit in his tria pri-

ma

ma Synthomatum genera reperiuntur. Vnum est actionis amissio: & alterũ actionis læsio,& tertium eius in alteram spetiem mutatio,& Fatuitas,&Obliuio,& refrigeratione creatur,siue à medicamẽto,siue ab humore valde refrigerãte,& 4. de Præsagatione ex pulsibus cap. 8. idipsum tenet.

Fatuitas etenim potest cõtingere naturaliter vel morbosè. Naturaliter contingit dupliciter, vel à natiuitate, contracta affectione ex principijs generationis; quia scilicet cerebrum tali frigida temperie sit conformatum, ita vt nulla ex rectricibus actionibus sit præditũ, spiritusq; animales præ nimia frigiditate crassi, densique sint, & totaliter inepti ad auferendas speties ex sensibus externis. Vel contingit in senio Fatuitas ex mutatione ætatiuę temperiei. Quotidiè videmus homines in senio constitutos in vltima ipsius parte,quam decrepitudinem appellamus; ita fatuos præ nimia cerebri frigiditate ætatiua;ita vt ac si essent infantuli diminutè discurrant, & loquantur, vnde ad infantiam regressos fuisse pro ipsorum actionibus diminutione, & torpore dicimus. Morbosè igitur fit Fatuitas ex excellente aliqua perfrigerante causa interna,vel externa. Sicuti enim hyemis tem-

po-

pore à frigore niuis (vt quando per loca niuosa iter facimus) non solùm torpore, stuporeque corpus totum afficitur, sed rigidum immobile, & veluti marmoreum redditur, & cerebri temperamentum ad rectrices exercendas actiones torpore afficitur à frigiditate magna, vt neutiquam valeat anima rectrices functiones exercere, vt in moribundis contingit, vel propter positiuam frigiditatem cum præsentia humorum frigidorum, vel sine illa, vel propter priuatiuam ex magna spirituum vitalium, & animalium exolutione; ita vt ex ipsorum absentia cerebrũ frigidius, hoc est, minus calidum ad actiones exercendas reddatur.

CAPVT XXI.

De Amentia.

CVM iam de actione ablata, vel abolita, rectricum facultatum, quæ fatuitas est, egerimus, restat vt de diminuta, quæ Amentia vocatur, agamus. De hac affectione mentionem facit sacra Pagina cap. 28. Deuter. *Percutiat te Dominus Amentia.* Zachar. cap. 12. *In illa die dixit Dominus: Percutiam omnem Equum in* *stu-*

Deuter. ca. 28 v. 28. Zacharias c. 12. v. 4.

ſtuporem, & aſcenſorem eius in Amentiam. Lyra dixit; quòd dies illa memorabilis mortis; Dies eſt in qua percutiet omnes, qui ſicut equus & mulus brutaliter viuent. Et Oſeæ c. 9. *Scitote Iſrael ſtultum Prophetam inſanum virum ſpiritualem propter multitudinem iniquitatis tuæ, & multitudo Amentiæ.* Dicit Lyra, quia Prophetæ Iſrael erant arreptitij à dæmonibus. *Oſea c. 6. v. 7.*

Ex his locis clarè conſtat magnam eſſe Amentiam affectionem, nam præterquam eſt ex capitalibus ad rectrices pertinentem facultates, ipſa hominum Deus punit iniquitates. Conſtat enim, quòd homo propter ſolam ratiocinandi potentiam differt ab alijs animalibus, quæ nullatenus (quia carent anima rationali) valent ratiocinare; & ita illis, qui in ſuis operibus, veluti bruta ſunt punit nequities Amentia. Actio eſt diminuta facultatis regentis, ratiocinatricis ſcilicet. Quòd præclarè dicit Galenus lib. de Differentijs Synthomatum cap. 3. Quinetiam ratiocinatricis functionis, quæ veluti paraliſis eſt, an ea, ſiue Amentia dicitur, quæ veluti deficiens motio eſt. Paraliſis enim, vt ſuo loco conſtabit pribatio eſt ſenſus, & motus taliter, vt veluti mortuum membrum ad ſentiendum, & mouẽdũ videatur. Sic dicit Galenus habet ſe in Amẽ-

tia ipsa ratio veluti impotens, non totaliter impotens; nam vt sic esset actio ablata, neque diceret, veluti defficiens motio est. Est enim diminutè operans ad modum stuporis, qui principium paralisis est. Qua quidem affectione multi à natiuitate propter aliquod vitium in principijs generationis contractum, alij à causa morbosa, scilicet frigida, vel humida intemperie afficiuntur.

Dubitare quis poterit, an (quòd antiquitas tenet) Amentia optimæ fortunæ sit signum, aliquod habeat fundamentum. Hanc dubitationē scriptam reperio apud Galenum lib. de Isagogis cap. 1. & in alijs Authoribus similiter, & nullam inuenio rationem habētem efficacitatem, vt id teneat. Et ita existimo nullam posse assignari philosophicam rationem præter Dei immensam prouidentiam, quæ in omnibus rebus assistit. Sicuti enim formica, & alia minutissima animalcula (Hyberno potissimū tempore, in quo pluuiæ, & cætera vigent temporalia) defectu alimenti ex fame scilicet perirent, nisi id à diuina gubernaretur prouidentia. Sic similiter, qui Amentes sunt, & sunt ad lucrandum alimētum, sicut bestiolæ agri, Deus qui omnia prouidet, non solùm (multoties) sufficiens ad vi-

tam

tam elargitur, sed abundanter ipsos dementatos replet diuitijs, vt inde possint ab hominibus vocari benè afortunati.

CAPVT XXII.

De Delirio.

DIVVS Lucas in sua Euangelica historia cap. 24. quando scilicet narrat Resurrectionem Domini nostri Iesu Christi dicit: *Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, & non crediderunt illis.* Videtur igitur, quòd ad nos attinet agere de deliramento in communi, in quo scilicet consistat ratio formalis delirij, vt inde ad particularia deliria, quæ ad potentias internas pertinere videntur, accedere possimus. *Lucas c. 24 v. 11.*

Galenus lib. de Synthomatum differentijs cap. 3. dicit, quòd delirium facultatum rectricũ est error. Itaque quoties aliqua ex potentijs internis errat, est delirium, & à Medicis Synthoma in actione deprauata facultatum rectricum vocatur; quia scilicet potentia circa obiectum deprauatè operatur, vt contingit in sensibus externis. Quando enim potentia visiua (quæ

G in

in percipiendis coloribus versatur)loco albi,nigrum,vel alium diuersum percipit colorem,illa actio deprauata vocatur potentiæ visiuæ. Ita similiter quando sensus interni deprauatè operantur, hoc est, cum errore (siue error consistat in re,siue in modo, siue in rei circunstantia) vocatur delirium. In re vt si Petrum existimet esse Ioannem. In modò vt si stantem existimet sedentem,vel è contra. In circunstantia , vt si naturaliter sit homo loquax,& in infirmitate taciturnus fiat,vel è contra plurima (quamuis benè discursata) loquatur. Deliramenta sunt omnia ista , quæ in omnibus potentijs posse inueniri statim constabit. Incredulis etenim verba de resurrectione de delirio in re visa fuere. Hi enim tres modi delirandi , non de irrationalibus , sed de rationalibus intelliguntur. Nam quamuis animalia delirant,vt in canibus rabie affectis est videre aquam siti opressis fugientibus ; non tamen quia animalia quodammodo ratiocinentur , vt malè docet Vallesius in Sacra Philosophia cap.55.circa verba cap.38. Iob: *Quis dedit Gallo intelligentiam:*

Hoc in loco quoddam dubiolum se offert circa sensus internos à nemine (quem sciam) agitatum. Constat enim , quòd quælibet poten-

tentia tam interna, quàm externa lædi potest tripliciter, nempè absolutè, vt in cæcitate; diminutè, vt in illis, qui nisi res vicinas vident, & deprauatè quando omnia obiecta, palida, rubra, & aliorum colorum apparent; vel quando quis in visu omnes excedit homines; quæ actio aucta appellatur, & ad deprauatam reducitur. Nam quamuis verum sit, quòd talis actio, quantum ad entitatem est perfectiua; quia extendit se vltra alios homines: tamen quia vnicuique speciei donata est sphæra actiuitatis ipsi correspondens, & homo qui omnes exuperat in visu, ità vt longiora percaleat, & minutissima ferè indiuisibilia percipiat, esse respectu sui Synthomatica, & præternaturam, & ad deprauatam reducitur aucta illa actio, quia est verisimile, quòd anima totam sensationem, hoc est, totum concursum sensitiuum apponit in illa sensatione, & deficit in alijs, ità vt aliæ actiones respectiuè sint valdè diminutæ. Hoc enim similiter in dolore verificatur, qui Synthoma est sensus tactus; & ad deprauatam reducitur actionem; quia in percalenda molestia obiecti tangibilis dolorifici, nimis excellentis vtitur anima maiori sensatione, quam

pro consuetudine afficitur in alijs sensationibus mediocribus tactus, & ita talis aucta actio ad depravatam reducitur. Dubitatur in præsenti, an actio adaucta facultatum rectricum esset delirium; ita vt sine errore aliquo homo adauctè perciperet, cogitet, & in memoria retineat, & omnes exuperet homines, omnibus admirationem causet, & quid portentosum videtur.

Dico, quòd non solùm tale delirium in actione adaucta in potentijs internis non implicat; sed de facto plurima huiusmodi deliria reperiuntur. Quòd non implicet, patet; nam id vel respectu animæ, vel subiecti deberet implicare. Non ex parte animæ; nam nulla est major ratio, quare in alijs potentijs tale Synthoma in actione adaucta inueniatur, & non in cœteris sensibus. Imò quia immaterialiores sunt, potiùs debet reperiri. Nam cum anima rationalis, cum actus ratiocinandi medijs alijs sensibus internis perficiat, & suam excellentiam in ipsis habeat maiori cum ratione est existimandum ex parte animæ prius in rectricibus facultatibus, quam in cœteris potentijs actionem adauctam reperiri.

Ne-

Neque ex parte ſubiecti ſimiliter, nam poteſt eſſe cerebrum, ita attemperatum ad vnicum actum excellentiſsimum, vt in alijs internarum potentiarum deficiat, vel diminutè operetur (ſiue potentiæ internæ in diuerſis cerebri locis exiſtant, gaudeantque diuerſis temperaturis pro diuerſitate locorũ, ſiue in vnica parte omnes exiſtunt potentię & vnica temperatura, hoc eſt, vnica primarum, & ſecundarum qualitatum proportione diuerſos prorumpant actus potẽtiæ) ita vt vnica potentia non ſolùm cœteras exuperet, ſed plurimorum hominum potentias. Conſtat enim id de facto experiri in memorandi potentia. Cognoſcimus homines, qui ſi attento animo ſermonem audiant, ipſum de verbo ad verbum ſtatim iterum valent recitare, vel ſcribere. Idipſum his noſtris temporibus vidimus in comediarum, vel fabularum in theatro repreſentatione. Et cognouimus hominẽ, qui ſi paginam, vel capitulum aliquod in libris ſemel perlegebat in memoria retinebat, & quoties volebat fideliter recitabat. Vt in plurimum qui non ſolùm in cœteris potentijs tali excellentia non fruuntur, imò cœteræ potentiæ diminutionem patiuntur. Ergo quia ad vnam potentiã potius quam ad aliam eſt particularis diſpoſi-

tio. Ita vt si anima cum particulari aduertentia existat, tota se conuertat ad illud opus. Huius generis cognoui hominem in discursando ita exactè, & in cœteris ita diminutè, vt in mea opinione delirantem existimarem. Tales quotidiè vidimus, si ipsis aliquantulum cerebrum ex febre, vel ex alia, etsi parua causa calefiat, valdè delirare; quia cum naturaliter habeant excalfactum caput, & spiritus animales ad actiones rectrices deseruientes quodammodo igneæ naturæ sunt, quilibet etiam si remissus sufficit ipsis ad delirandum.

Restat nunc, vt ad dubitationem, quam omnes Medici ferè agitant breuiter satisfaciamus. An scilicet delirium in omnibus potentijs inueniatur rectricibus? Ad quod præsupponendũ est, quòd tot sunt potentię, quot sunt actus: potentiæ enim specificantur per actus, & actus per obiecta adæquata, & ita sicuti sensus externi distinguntur realiter per suos actus, & actus per sua obiecta adęquata; quia scilicet color, qui obiectum est visus, ita valet adæquare, vel potentiã adimplere, vt alteri sensui nullo modo conueniat. Et ita sensus interni suos habent actus adæquatos; ita vt obiectum vnius alteri non conueniat (etiam si aliquorum recentiorum sit opinio

vni-

vnicam tantummodo esse potētiam internam, & tales actus esse inadæquatos, quòd quamplurimi cum pauca difficultate defendunt; tamen cum antiquorum opinione, & præcipuè D. Thomæ, qui plures esse potentias rectrices docet nostrum conficiemus discursum) & ita quatuor communiter assignantur potentię: sensus communis, imaginatio, ratio, & memoria. Sensus communis hoc nomen sortitus fuit, quia alijs sensibus internis ministrat; ipse enim est principium internarum sensationum, & communitate quadam præsidet omnibus sensibus externis accipiendo speties ab ipsis sensatas in præsentia obiectorum. Ita vt si obiectum sit absens, non iudicet, neque cognoscat talem speciem; & quia (casu posito, quòd sint animalia carentia visu, auditu, olfactu, & gustu, vt aliqui Historiatores naturalium rerum existimant, quòd credere acerbum, vel durum semper erit) diuersorum obiectorum ad vnicum sensum (verbi gratia tactus) pertinentium iudicat sensus communis, ita vt speties frigoris realiter sit distincta à spetie caloris, & similiter lenitatis ab spetie asperitatis, & sic de alijs, quando in præsentia obiectorum nihil operatur, actio est abolita, quando parum diminuta; & quando errat

deprauata, ita vt ſpetiem, quæ ad viſum, ad auditum, vel è contra (& idem de alijs ſenſibus) pertinere percipiat. Deinde eſt ipſa imaginatio, quæ non operatur ſpetiebus ſenſatis, ſed inſenſatis, & in abſentia obiectorum. Poſteà exiſtit ratio (quam diuerſis nominibus confundunt Auctores) quæ cognoſcit obiectum ſub ratione boni vel mali, vt volūtas conſurgat ſuis actibus proſecutionis, vel fugæ. Vnde ſi id quod bonum, & conueniens eſt, ſub eadem ratione formali percipiatur, vt malum, & diſconueniēs, vel in aliquibus circunſtantijs pertinentibus ad rationem boni fit error, ſiue delirium. Verumtamen non eſt difficultas in iſtis potentijs; nam ferè nullus eſt Auctor, qui deliria dictis negauerit potentijs; memoriæ etenim quamplurimi negarunt delirium. Exiſtimant non eſſe potentiam actiuam, nullumque elicere actum effectiuè, ſed ſemper paſsiuè ſe habere; quia recipere, tenere, & conſeruare præteritorum ſpetíes tantummodo memoriæ donatum eſt, & ita nō poteſt pati niſi ablationem, vel diminutionem, vt in illa peſte refert Galenus, in qua non ſolùm præterita oblita fuere, ſed proprium nomen ignoraſſe Grammaticum. Qui quidem falluntur (in quorum refutationibus Magiſter noſter Petrus

trus Garcia Carrero lib. de locis affectis quamplurimas doctissimè consumit paginas) nam memoriæ non solùm datum est species retinere, & vt in thesauro conseruare, sed ipsas cum differētia loci, & temporis cognoscere. Ergo semper, & quoties quis recordatus fuerit de re præterita, & in loco, vel tempore errauerit, vel in alia circunstantia pertinente ad rem præteritā, vt præterita est, necessarium erit concedere illud esse memoriæ deliramentum.

Vnde colligo, quòd quando Divus Lucas dixit, quòd visa fuerunt, vt deliramenta illa verba, potest intelligi de deliramento in communi comprehendente omnes rectrices potentias.

CAPVT XXIII.

De Vertigine.

ACCEDIMVS Ad deliria particularia rectricum facultatum in sacris Literis relata: Nam (vt constabit) Vertigo, Hispano sermone, *Vaido*, imaginationis est delirium, Habemus de Vertigine vnicum tantummodo locum apud Isaiæ 19. caput, & hæc sunt præclara verba: *Dominus miscuit in medio eius spiritum* *Esaiæ cap. 19. v. 14.*

Ver-

Vertiginis, & errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo: Sicut errat ebrius & vomens. Hoc caput in duas diuiditur partes. In prima erit sermo circa verba: *Spiritum Vertiginis, & errare fecerunt.* In secunda circa vltima, *sicut ebrius & vomens.*

Circa primam præsupponendum est, quid sit, & quomodo fiat Vertigo. Lyra dicit, quòd Vertigo significat convolutionem, seu congyrationem, quæ quandoque fit in cerebro à morbo; sicut in terra fit à vento. Vnde qui talē morbum patiuntur non possunt rectè iudicare de agendis, sed errant sicut ebrij. Galenus lib. 6. de Sanitate tuenda cap. 12. ipsam videtur definire. Est motus deprauatus spirituum animalium, à quo omnia videtur in gyrum moueri, vel alio modo. Itaque res quiescens, quæ oculis obijcitur in gyrum apparet moueri propter motum, non naturalem spirituum. Spiritus enim animales (qui in cerebro ex vitalibus per vlteriorē elaborationem diuersam formam recipiūt) animales appellantur; quia deseruiunt ad actiones animales secundum gradum sensitiuum, tam ad sensum, quā ad motum, & ita ipsis deficiētibus, vel impedito transitu priuatur animal à sensu & motu (vt videre est in paralysi;) quando verò spiritus deprauatè mouentur, hoc est, quando

non

non seruant motum naturalem in sensorijs, quę debebant seruare fit deprauata sensatio. Sunt enim spiritus medium quo speties potentijs superioribus repręsentantur, & quamuis spiritus spetiem representat similem cum proprio sensibili figura, & magnitudine, non tamen representat rem esse quietam, sed motam circulariter, vel alijs diuersis motibus, & frequenter in gyrum; quia species modificatur cum sensibili communi ipsorum spirituum, qui cum intra neruum opticum (rotunda figura formatum) orbiculariter intra ipsum mouentur; ideò in gyrum apparent moueri agitati, & commoti à diuersis rebus, vt vapores elati ventriculi quærentes exitum, sicut frequenter contingit ex nimio cibo ingesto, & nimia vini potione, vt in ebrijs est videre, vel à causa interna frigida in capite existente vapores frigidos, & crassos eleuante spirituum motum naturalem perturbantes speciem sensui communi repręsentant, & cum ipsi non sit datum, nisi ipsam, vt visualem cognoscere: nam alias si visualem alterius sensus esse iudicaret, erraret. At non fit error in hac potentia. Imaginatio cuius officium est cognoscere speciem cum omnibus requisitis errati, quia iudicat rem quietam esse in gyrum (vel alio modo) mo-

motam, & ita talis affectus inter capitales adnumeratur pertinens ad imaginationis actionem deprauatè læsam; minimè verò ad rationē, quæ statim cognoscit id non ita esse, & errasse imaginationem Et ita quando miscuit Dominus spiritum Vertiginis, idem est, ac si diceremus, miscuit in neruis opticis, vel in arterijs circumvicinis vaporem aliquem spiritum animalē agitans, & in gyrum mouens, ita vt immediatè Vertigo resultaret.

De hac enim affectione quæ denominationē sumpsit à Synthomate variæ sunt Medicorum opiniones circa morbum à quo procedit. Petrus Garcia Carrero disp. 16. de locis affectis, cap. 4. diffusè id agitat, & ita in hac re non immoror.

Verumtamen (pro Medicis) circa hanc affectionem duæ se offerunt difficultates non contemnendæ. Prima est, quare Vertigo fiat circa visibilia, & non fiat circa audibilia, tangibilia, & alia aliorum sensuum obiecta, quæ ita sunt realiter immutabilia, & sui speciē mittunt sui proprij obiecti, ac color respectu visus, & similiter modificatur cum propria specie figura, magnitudo, & alia sensibilia communia, & medijs spiritibus animalibus fit representatio, & ita videtur,

tur, quòd quando à sensu auditus percipitur sonus, & simul magnitudo rei sonatis poterit fieri Vertigo; cum autem non fiat, quęritur, in quo consistat?

Ad hanc dubitationem dico verum esse illud, quod se tenet de immutatione reali organorum: verumtamen non fieri Vertiginem, nisi circa visibilia, quia spiritus animales visorij (qui in neruo visorio ad visionem existunt, melius recipiunt illum modum motus ex visibilibus obiectis) siue modus motus in gyrum ab interno veniat, vt ex vaporibus contingit, aut à re (si inspiciatur circulariter ad extra mota) nam in alijs organis, prætrquam non existit tot spirituum quantitas; quia animal non indiguit continua sensatione, nisi quando fortè aduenit obiectum. At visus, nisi quando animal dormit in continua est sensatione, & ita continua est dissipatio spirituum, & continuus est fluxus ex cerebro ad oculos per neruos opticos, tanquam per canales, quia manifestam habent cauitatem (vt ex anothomia est manifestum) spiritus non existunt in cauitate orbiculari; visorij verò in orbiculari existunt, & ita si agitentur necessario circulariter debent moueri. Hoc experimur si in vase rotundo aquæ pleno ipsam agitemus aqua

cir-

circulariter, aqua tangendo ipſam concauam vaſis ſuperficiem mouetur, & ita quia talis modus motus magis accommodatus eſt reſpectu inſtrumenti, circulariter moueri res quieſcentes apparent reſpectu viſus; non verò reſpectu aliorum ſenſuum. Dixi quòd ſpiritus animales meliùs recipiunt illum modum motus ex viſibilibus obiectis; quia etiam circa alia obiecta ad alios pertinentia ſenſus poteſt fieri Vertigo. Conſtat enim, quòd cœcus à natiuitate (qui nũquam ſpeciem coloris habuit) poteſt affici Vertigine; Nam talis habet ſpeciem rerum quietarum, & mouentium, & cœterorum ſenſibilium communium. Cum ergo Vertigo affectus ſit imaginatiuæ potentiæ deprauatè operantis circa res quietas, nemini erit dubium, quòd circa tãgibilia, vel audibilia (quamuis minus accommodata) poſsit fieri Vertigo.

Secunda difficultas eſt, (ſuppoſito quòd ſpiritus animales, qui corporei ſunt, & inſtrumẽta ad deferendas ſpecies rectricibus potentijs, & non ſolùm conſtant motu, ſed magnitudine, figura, & numero) quare modificatur ſpecies ſenſibilis proprij cum ſenſibili communi ipſorum ſpirituum; ita vt pro motu deprauato ipſorum ſpirituum reſultet Vertigo, & non modifi-

cetur species cum magnitudine, figura, & numero spirituum; quæ omnia ita habent ratione sensibilis communis, ac motus ipsorum. Tum, quia ea, quæ intra oculum, aut caluariam existunt, neque directè, neque indirectè (scilicet per reflexionem) videntur. Potentia etenim visiua (quæ respectu cœterarum immaterialior est) ad eliciendam sensationem indiget medio, ad diuersitatem tactus, & gustus, qui quia materialis potentiæ immediato contactu cum obiecto operantur. Si enim spiritus animalis intra existens, neque ipsius motus naturalis, neque figura; neque magnitudo non repræsentantur, cur agitati, & commoti tales spiritus, species sensibilis proprij potentiæ visiuæ, modificatur cum sensibili communi medij, scilicet spirituum, ita vt videatur res moueri ad motum ipsorum, & non secundùm figuram, vel magnitudinem ipsorum.

Ad quod respondetur verum esse spiritus animales esse corporeos, & pro ratione corporeitatis debere constare magnitudine, figura, & numero, verumque esse communia sensibilia esse, sicuti motus: & similiter esse verum ea, quæ intra oculum sunt non videri. At modificari speciem sensibilis proprij cum sensibili commu-

mu-

muni, nempè cum motu medij, scilicet, spiritum, quia ex sensibilibus communibus nullum ita est manifestum, vt modificatum cum specie ipsam representet in gyrum, ita vt quiescentia moueri appareant (vnde aliquibus suspicatum fuit Vertiginem oculorum esse affectionem) cœtera verò sensibilia communia, quæ in spiritibus cōsiderari possunt imperceptibilia ex parte subiecti, scilicet spirituum, qui tenuissimæ substantiæ sunt eorum, quę in corpore humano existunt. Nullus enim est expertus vidisse spiritus vitales, vel animales (imò propter hanc rationem dari aliqui negarunt) nam etiam si corporeę substantię sunt, & diuisionis capaces, sunt tamen inuisibiles pro ratione nimiæ tenuitatis, & exiguitatis, quòd exemplo aeris verificabitur: nam si agitatur, magnus resultat ventus, Corporea substantia est magnitudine, & figura constans, non tamen oculis pro sua diaphaneitate obijcitur, etiam si ipsius motus ab omnibus sensibus percipiatur. Ita similiter spiritus pro sua tenuitate non causant affectus in alijs sensorijs diuersos præter Vertiginem, quæ ex agitatione ipsorum resultat.

In secunda parte huius capitis sunt verba illa Textus sacri: *Sicut ebrius & vomens*. Errant ita-

itaque ebrij, & vomentes. Restat nobis explicare, quo modo decipiantur vel errent ebrij, & vomentes?

Dico igitur, quòd ebrij errant duobus modis. Primo, vt vertiginosi, & secundò, vt oculorum conuulsi. Vt vertiginosi errant (omnibus est notum) pro multitudine vaporum eleuatorum perturbantium, & commouentium spiritus animales: non solum ventriculus in ebrijs est oppletus vino, sed hepar, & cæteræ venæ magnę conãtes omnes suo calore naturali actuare vini tãtam potionem, vnde est necessarium, quod caput vaporibus repleatur, & inde fiat vertigo. Secundò errant ebrij, vt conuulsis oculis; quia ipsis quæ simplicia sũt duplicata apparẽt propter particularem affectionem (nõ cerebri sicut in vertigine) oculorũ. Galenus in illo celebri cap. 12. lib. 10. de Vsu Partiũ, quod iusu dęmonis dicit se scripsisse inter difficultates, quas proponit (quas sine conclusione indecissas relinquit) vna illarum est, cur vno, aut altero oculo sursum vel deorsum pupilla compressa, quæ simplicia sunt duplicata apparent. Constat enim, quòd si pupillam ad dexteram vel sinistram partem deprimamus, vt in strabismo (siue morboso, siue a natura cõtracto nullo modo quæ simplicia sunt

duplicata apparēt; benè vero si pupillam deprimamus ad infernam vel supernam partem. Et ratio est; quia quādo ad dexteram, vel sinistram partem conuertimus pupillam, nō variatur conus linearum visualium; benè vero quando sursum, vel deorsum propter malam musculorum oculi positionem: ex quo fit, vt radij visuales nō exeant ex pupilla per lineam rectam; sed varij & tortuosi, quidam sursum, & quidam deorsum, nō per vnam planam superficiem, sed per diuersas; & ita res, quæ simplex est duplicata apparet. Sicuti in agitata aqua illuminata a Sole duo apparent Soles propter variationem medij. Cū ergo conus ille linearum, qui ex spiritibus animalibus fit, varietur, & sit medium ad visionem variari, & duplicari obiectum est necesse. Hoc autem ebrijs contingit quibus duplex res apparere est certum; quia ex vaporibus vini caput repletur, non solum secūdum vacuitates sed musculos. Patiuntur tunc ebrij ex tali musculorum repletione quandam paruam cōvulsionem, quæ si duraret, esset periculosa: Disoluitur vero, quia causa est vaporosa, & quia calor dissoluens est magnus. Et ita quia tēpore quo durat, musculi oculorum malam seruant positionem & situm, quia contracti sunt (convulsio etenim muscu-

culorum versus suam originẽ est retractio) variatur conus linearum, diuersásque adquirit superficies, & axis, quæ directè tendit & ferit obiectum, nõ ferit directè, sed per diuersam superficiem. Vnde res, quæ simplices sunt, duplicatæ apparent, quod nõ contingit in strabismo; quia semper lineæ eandem optinent superficiem.

Restat vt vltimã sacri Textus explicemus particulam nempe *sicut vomens*. Errare vomẽtes tenet sacra Pagina. Id enim expertus fui in nauigantibus per mare sua itinera facientibus, qui (nisi illi, qui iam assueti nauigationi erant) omnes vertiginosi existebãt. Et ratio est, nam vt in plurimum contingit ex humoribus commotis ad orificium superius ventriculi vapores eleuãtur, cerebrum replent, spiritus agitant, & sunt in causa, vt læsa imaginatione res quietas circulariter, vel alij motibus moueri existimant.

CAPVT XXIIII.

De Mania, & Rabie.

Math. cap. 8. vers. 28.

DIVVS Matthæus 8. cap. duos ægros recenset. *Qui sæui nimis erant de monumentis exeuntes; ita vt nemo posset transire per viã illam.* Diuus Marcus, & Diuus Lucas solum vnum occurrisse referunt; quoniam (vt ait D: Augustinus) vnus eorum celebrioris personæ, & maioris insaniæ fuit, ob quem Regio illa maximè dolebat, & pro cuius salute populus satagebat. Subdit Diuus Lucas: cap. 8. *Habebat dæmonium temporibus multis, & vestimentis non induebatur, neq̃ in domo manebat, sed in monumentis.* Coniecturam facio, quod iste qui nõ manebat in domo, neque vestimẽtis induebatur, sed in monumentis habitabat, maniacus erat (alio nomine insania Lupina, & alio Lycantrophia) quod Vallesius in sacra Philosophia cap. 28. confirmat. Alius vero nimis sæuus, ita vt nemo posset per viam illam transire erat Rabie affectus (alio nomine hydrophobia)

Luca cap. 8. vers. 27.

De primo namque constat ex natura Maniæ. Areteus lib. 1. de Causis diuturniorum affectuũ

cap.

cap. 6. appellauit hanc affectionem furorem, & dicit, furoris modi specie permulti sunt, genere tantum vnus; est enim Mania ex toto mentis alienatio diuturna vacans febre. Et in cap. 5. dixit, furentes (hoc est, Maniaci) plurimum vitę sic transeunt desipientes, & fœda attrociaque committentes. Petrus Garcia Carrero disp. 14. cap. 1. Maniam definit. Est delirium sine febre cum furore à calido, & mordaci humore prouenìens. Quæ definitio datur per causam, & per Synthomata, per quæ ab alijs affectionibus differt. Auicena fæn. 1. lib. 3. tract. 4. cap. 15. Maniam appellat dæmonium lupinum, quia cogitant tales esse lupos, & alia huiusmodi animalia, ita vt tales à consortio hominum fugiant, & solùm agros, vt animalia ferocissima, valles, & colles amant, & talis est ipsorum timor, vt omnia: fugiant propter quod Auicena hanc affectionem appellat Cucubut, quia absque ordine fugiunt ad imitationem aranearum quarumdam, in superficie aquarum supernatantiũ, muscas venantium. Hanc insaniæ speciem possumus intelligere cum Vallesio in Sacra Philosophia cap. 80. habuisse Nabucodonosor, cum legamus cap. 4. lib. Danielis, quòd ex hominibus adiectus est, & fænum, vt bos comedit, &

rore cœli corpus eius infectum est, donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, & vngues eius quasi avium. Non enim Nabucodonosor se canem, vel lupum esse cogitabat, siquidem ab hominum consortio fugiebat, & vitam agebat in siluis; imaginabat enim se bobem, vel aliam agri feram, illarum, quæ fænum comedunt, esse. In istis non solùm læsa est imaginatio; quia quando apprehendunt se esse lupos, gallos, & alia huiusmodi, quæ imitari conantur, errant: sed læsa est ratio, quia affirmant verum esse id, quod apprehensum fuit. Hoc prouenit ab intemperie calida, & sicca cerebri; ita vt siccitas intensior sit calore. Quod quidem (tametsi vt Petrus Garcia Carrero tenet, omnes possint facere humores, præcipuè si calore adurantur) humor melancholicus (qui per adustionem atrabiliarius fit) perfectiori quodammodo causat. Demon enim huius humoris amicissimus est, quia ipso passiones animi, vt est timor, tristitia, ira, furor, & alia huiusmodi sæuissimas inducit, & corporis similiter affectus causat, vt est Melãcholia Morbus, Rabies, Epilepsia, Mania, Conuulsio, & alij similes, qui in hominum pernitiem animi, & corporis sunt.

De secundo constat ex natura Rabiei, quæ spe-

species Maniæ est (apud Auctores Medicos sunt quamplurima nomina diuersa pro diuersitate deliriorum, ex quibus diuersæ consurgunt Maniæ differentiæ, quę aliquibus legentibus confusionem potiùs quam notitiam, vel intelligentiam causant) nam qui ipsa sunt affecti existimant se esse canes, latrant, mordent, tristes sunt, solitarij, oculi rubent, per os spumant, in furore aguntur, & alias canum exercent actiones, vt Arist. lib. 8. de Histor. animaliũ cap. 22. Et solùm differunt hæ duæ species in diuersis accidentibus, quæ moribus naturalibus horum animalium correspondent. Non enim mirandum, quòd nemo auderet transire per viam illam, tùm propter periculum alicuius mali præsentis; tùm imminentis, scilicet contagium, quod ex morsu (sicuti canes vt constabit) derelinqunt.

Et vt clariùs procedatur exagitabitur dubitatiuncula quædam circa hanc affectionem noua, ita vt à nemine (quem sciam) sit tacta, nec dũ agitata. An scilicet pro rabientium medella emittendus sit sanguis.

1. Pro cuius intelligentia primò notandum est, quòd hydrophobia secundùm maiorem Auctorum concursum, est delirium sine febre

perpetuum cum furore,& inclinatione morde-di. Conuenit cum Mania in hoc, quòd sit delirium sine febre cum furore;& differt ab ipsa per inclinationem mordendi. Causa furoris est nimia;& intensa siccitas humoris attrabiliarij, distemperans ipsum cerebrum, aut intemperies cerebri absque præsentia humoris, quæ simul cum intemperie calida ipsius valet cerebri deprauare actiones. Causa autem inclinationis mordendi, & aliorum accidentium, vt fuga aquæ, aliarumque rerum liquidarum, quæ actus sunt deprauati superioris potentiæ, quibus æger hydrophobicus fit, & constituitur, est certus modus intemperiei. Nam etiam si sciamus calorem, & siccitatem esse, & intensiorem calore esse siccitatem, quanta sit ipsarum qualitatum necessaria intensio, ignoramus. Nam pro diuersitate dispositionum diuersimodè fiet affectio; & ex ita affectis aliqui sunt alijs sæuiores, ferocioresque.

Secundò nota, quòd non solùm loquor de Rabie, quę per contagium à morsu canis rabidi prouenit, sed de illa, quæ in corpore humano procreari potest, sicut cœteræ malignæ, vel non malignæ ægritudines procreãtur. De hoc enim nulla est repugnantia. Nam sicuti ex vi disposi-

tionis absque eo, quòd canis rabiens ab alio mordeatur cane rabiente, Rabie afficitur. Ita similiter in corpore humano posse contingere, non est dubitandum. Plurimos quotidie videmus Maniacos, & absque causa procatartica, nihil mirum etiam, quòd hydrophobia, quæ species Maniæ est absque causa externa, aut procatartica contingat.

Tertiò nota, quòd furor nihil aliud est, quam auersio ad malum, siue euitabile, siue ineuitabile cum inclinatione vindictæ, & quamuis ad irascibilem, quæ in corde residet pertinere videatur (propter quod aliquibus, vt Aureliano lib. 3. acutarum passionum cap. 13. visum fuit) partem affectam in hydrophobia affectis esse cor. Nihilominus tamen, quia talis affectus pẽdet ex cognitione læsa, tenendum est delirio rabientem teneri, vt tenet Nicholus serm. 4. tract. 4. cap. 15. nam obiecta, quæ ex se non sunt prouocantia furorem in ægro hydrophobico, furorem conducunt. Tùm etiam, nam sunt plures delirantes furibundi, & nihilominus nulla est in ipsorum corde lęsio. Quibus suppositis tenendum esse existimo de necessitate, & primario in rabiente nullam esse læsionem in corde. Nam si verum est, quòd pars affecta ex ipsius

ſius partis affectæ actione læſa cognoſcitur, vt Galenus lib. de Locis affectis cap. 5. & nullam vidimus cordis diminutam, ablatam, aut deprauatam actionem; quia neque febrem, neque ſyncopem, neque alterum reperimus accidens, quòd cordis lęſionem ſignificet; & ſi aliquando ſit febris, aut alia in corde affectio eſſe præter ratione͂ Rabiei ex alia cauſa per accidens pende͂s, aut ſecundario propter extraneationem caloris natiui cordis ab aliqua qualitate cordi communicata per conſenſum cerebri, vt eſt ſiccitas, à qua acrior redditur calor, propterquod ad attemperandam eius acrimoniã, reducendamque augeri aliquantulum vſum eſt neceſſe, aut ab aliqua venenoſa qualitate, vt quando Rabies ex morſu canis rabidi prouenit, in quo venenoſa qualitas ſolet per ſpatium trium, vel quatuor menſium retardari, vſquequò cor attingat ſecundùm Galeni, & Auicenæ ſententiam, & experientiam eſt exiſtimandum. Non tamen hoc ita eſt neceſſarium, vt non poſsit dari Rabies abſque malefica qualitate in corde: nam illi qui ſine contagio ſunt affecti, nullum in corde habent damnum. Et ſi dicas non poſſe mori abſque affectu cordis, dicam, quòd ſicuti phrænitici moriuntur primò, & per ſe ratione phrænitidis

dis (quæ cerebri inflammatio est): ita similiter hydrophobi moriuntur ex nimia cerebri ſicci-tate abſque affectu primario in corde, vt ex Fracaſtoreo lib. 2. cap. 10. colligitur, dicente, quòd illud quod euaporat, non ſtatim ad cor fertur, ſed longè poſt, aut etiam pellitur.

Quarto nota, duplicem poſſe excogitari affectum cutaneũ. Vnus qui quamuis in cute, procedit tamen ex morbo periculoſo facto in internis partibus, vt maculæ, quæ ſolent apparere in febre maligna iuxta cutem, in qua non ſolùm inuenitur affectus cutaneus, ſed morbus periculoſus in viſceribus. De hoc affectu cutaneo nòn eſt diſputatio; nam certum eſt in tali ſanguinem eſſe mittendum ſaltem pro ratione affectus primarij, reſpectu cuius macula dicitur Synthoma, & in vniuerſali declinatione expurgãdum. Alius eſt affectus cutaneus, qui ſolùm ex cauſa externa, & procatartica procedit, & nullam ex interna cauſa habet dependentiam, vt ictus, percuſſio, morſus viperæ, aut canis, de quo eſt dubitatio.

Quinto nota, quòd Galenus docet lib. de Sanguinis miſsione cap. 8. ſine ſignis plenitudinis eſſe ſanguinem mittendum; & ita ſi hydrophobiã affectus plenitudinis ſigna habeat, ne-

mi-

mini erit dubiũ, quòd præcautionis gratia mittendus erit, ne fiat inflammatio cerebri, aut aliqua alia affectio; & si plenitudinis signa deficiant, vt Vallesius lib. 2. Methodi cap. 3. consulit in ictu, aut percutione multoties corpus expurgandum esse, si nimia cachochymia sit affectum: nam multo securiùs remedium est expurgatio, quam sanguinis missio, & magis adæquatum respectu humoris fluxuri. Præsertim quòd in homine cachochymia affecto, virtus potest esse ad expurgationem, & nõ ad sanguinis missionem. Cõstat verò multò maiorẽ virtutem requiri ad missionem sanguinis, quàm ad expurgationem, cum per missionem sanguinis evacuetur humor familiaris nostræ naturę, à quo virtus nimis dependet: nam sanguis est materia proportionata, vt ex ipso spiritus fiant, nõ verò humor cachochymus, & ita sumpta indicatione ex parte virtutis in eo, qui tanta cachochymia est affectus, & hydrophobiæ signa apparent, siue à cane rabido morsus fuerit, siue nõ, potius est vtendum medicamento expurganti, quam missione sanguinis, illud verò fiet ex idea humoris fluxuri ad cerebrum, in praxi tamen positum est sanguinem mittere, & non expurgare. Propterea quòd est in potestate Medici

ve-

venã semel scissã claudere, nõ verò sumpto medicamento expurganti eius actionem cohibere, & ita propter maiorem securitatem auxilij (praxim sequendo) potius in hydrophobiæ affectu debet mitti sanguis, quàm expurgare.

Qui partem negatiuam tenent, dicunt non conuenire tale remedium, quia missione sanguinis de externis partibus ad internas humores mouentur (quod Scriptores barbari appellant à circumferentia ad centrum) qui motus sanguinis nociuus est in Rabie: nam vt patet vniuersa cutis missione sanguinis simul cum facie albicat. Ergo ex eo est, quod sanguinis mótus fuit ad internas partes. Probatur secundo alia ratione. Nam locus sanguinis derelictus in venis post missionem sanguinis, non est à quo repleatur, nisi à sanguine existente iuxta cutem. Ergo ille mouetur. Tertio probatur ex præcepto Auicenæ, fæn. 6. lib. 4. tract. 4. cap. 9. vbi asserit, quòd in his qui morsi sunt à cane rabido, nõ est mittendus sanguis; nam si id fiat, mouetur venenum de partibus externis ad internas, scilicet, ad cor.

Sed his non obstantibus sit conclusio in hydrophobiæ affectu, à morsu canis rabidi prouenientе, siue non sanguinem mittere oportet,

quod

quod probari poterit ex Galeni ſententia 6. lib. de Morbis vulgaribus p. 2. comm. 3. vbi aſſerit (explicans Hiprocratis ſententiam) ne putetis me expurgationem, aut ſanguinis miſsionē prohibere, & ipſe Galen. hoc præſenti cap. dicit, & hoc faciendum eſt ante corroborationem cutis: nam poſtea licitū eſt illam corroborare. Ratione probatur; nam ſi propter aliquam rationem in hidrophobiæ affectu tale remedium nō eſſet exercendum, maximè quia per miſsionem ſanguinis potius mouentur humores ad internas quam ad externas partes. Sed per miſsionē ſanguinis potius mouentur humores ad externas. Ergo habemus intentum? Minorem probo; nā Galenus lib. Acutorum. com. 10. aſſerit in pleuritide (quæ inflammatio eſt pleuræ) ſanguinem eſſe mittendum vſque ad mutationem coloris ſanguinis, quouſque peſsimus exeat ſāguis. Nā tunc ait Galenus, eſt ſignum, quòd humor educitur de parte inflamata ad externam. Ergo potius miſsione ſanguinis mouetur humor ad externas partes. Tum vlterius: nam ſi ſemper humores miſsione ſanguinis mouerētur ad internas partes, fruſtra omnes Medici in internis inflammationibus vterentur miſsione ſanguinis: nam potius hoc auxilio augeretur fluxio. Ergo

ſignum eſt moueri humores de internis partibus ad externas, & non è contra. Præterea ſi in morſo à cane rabido non eſſet ſanguis mittendus propter motum ſanguinis ad intra, ne malitia ex ſpuma canis rabientis derelicta in parte ad cor tendat in laborante febre puncticulari propter illas maculas malignantis naturæ, & in laborante ſcabie non eſſet ſimiliter mittendus propter eandem rationem, ſed miſſo ſanguine (vt experimento eſt compertum) videmus in dictis febribus efloreſcentias non ſolum erumpi, ſed augeri. Ergo miſsione ſanguinis humores ad externas partes mouentur, & per conſequens in hidrophobiæ affectu ſanguis eſt mittendus.

Ad argumenta pro parte contraria propoſita reſpondeo; & ad primum. Re vera faciem albicare poſt ſanguinis miſsionem, ſi in maxima quantitate fuerit detractus: nam in hoc caſu non ſolum conuocatur humor, qui erat in viſceribus, ſed qui in partibus vicinis erat. Tamen ſi exigua fuerit ſanguinis miſsio, quamuis corpus non ſit plenum, non albicat facies. Et ſi fortaſsis accidat albicare faciem in ſanguinis miſsione exigua erit ex vi timoris præcedentis; vel alterius cauſæ.

Ad

Ad secundum respondeo, exigua sanguinis missione non moueri humores partium externarum ad viscera, sed venę magnę mouentur ad replendum vacuum. At verò si sanguinis missio fuisset magna, taliter vt venas externarum partium attingeret, moueretur humor de externis ad internas.

Ad tertium, quod in auctoritate Auicennæ fundatur. Dico, optimè consulere in eo, quod ipse, qui morsus est à cane rabido non evacuetur per sanguinis missionem, antequam mala, & venenosa qualitas cor pertingat. Et ratio huius esse potest, quia cum per evacuationem spirituum factam ex vi sanguinis missionis celerius arteriæ moueantur (nam motus pulsus est propter generandos spiritus, & dum ipsorum maior est penuria, celeriùs arteriæ mouentur) ferrent suo motu vapores venenosos ad cor. At verò quando iam venenum venas magnas, viscera, & denique cor occupat, & ægrotans omnia habet hydrophobię Synthomata evacuationis gratia, vt spiritus illi malefici evacuentur in ipsa, & in omnibus tali affectu affectis, nullũ tam præstantius remedium in tota vniuersali medicina inueniri, neque excogitari posse existimamus.

CAP.

CAPVT XXV.

De Lunatico morbo.

PLVRIES inuenimus in sacris Litteris, præcipuè apud sacros Historiatores factã fuisse de sacro morbo mentionem, vt c. 4. Matth. in quo refert. *Iesum plures sanasse Lunaticos, & Paralyticos*; & cap. 17. sanasse alterum Lunaticum, qui ab spiritu immundo temporibus Lunæ determinatis affligebatur, cuius hęc sunt verba: *Et cum accessisset ad turbam, accessit ad eum Homo genibus prouolutus ante eum dicens: Domine miserere filio meo, quia Lunaticus est, & male patitur, nam sæpè cadit in ignem, & crebro in aquam.* Addit D. Marcus, *illum habere spiritum mutum, qui vbicumque allidit illum, spumat, stridet dẽtibus, & arescit.* Interrogauit Christus Dominus pueri patrem, quantum temporis esset, ex quo ei hoc accidit, & respondit illi, *ab infantia.* Diuus Lucas (Medicus vt testatur Paulus) cap. 6. ait: *Infirmi, & qui vexabantur ab spiritibus sanabantur omnes.* Ac si diceret (loquitur cum distinctione vt Medicus) omnes sanabat IESVS, & qui à languoribus vexabantur, & arreptitios scili-

Matth. c. 4. vers. 24.

Et cap. 17. ver. 15.

Marc. c. 9. ver.

Luca cap. 6. vers. 18.

cet, qui à dæmone cruciabantur. Nō enim ſemper Lunatici habent dæmonium, neque è contra; contingit tamen multoties ſimul inueniri, vt in iſto ægroto putant aliqui. Diuus Chriſoſtomus ſcribit homil. 58. neque à natura, neque à morbo, ſed dæmonis arte, ac vexatione Lunaticum fuiſſe: nam quem Marcus Surdū, & mutum ſpiritum, quem Lucas Dæmoniacū, Matthæus Lunaticum appellauit.

Verùm, vt in hoc cap. claritate procedamus prius de nominibus huius Lunaticæ affectiònis agemus, ne nominum multitudo confuſionē cauſet. Deindè de ſignis, vt ipſā cognoſcamus; an ſcilicet ſufficiant relata, ſæpè cadit in ignem, & crebrò in aquam, ſpumat, ſtridet dentibus, & areſcit. Poſtea in quo eius natura conſiſtat: & vltimo quibus contingat ætatibus, & cur morbus hereditarius eſt?

Dicitur morbus Lunaticus, & præcipuè in ſacris Litteris, hoc nomine magis exprimitur, vel ſignificatur iſte morbus (etiam ſi alij Lunatici ſint, vt inſania quam videmus exacerbari ad Lunæ motum, & per quædam intervalla deſinens, imò in Hiſpania cum aliquem videmus, non mente ſecurum, licet quietum, & placatum dicimus habere lucida intervalla) quia ad

Lunæ

Lunæ certas conuersiones,& quadraturas exagitatur cerebri affectio. Diuinus similiter dicitur propter eandem dictam rationem,ex Lunę motu desumptam (omne enim, quod ex cęlorum influxibus venit diuinum dicitur) nam quamuis in aliquibus Lunæ positionibus affligi ægros videmus;causam tamen quare id in illa positione contingat,& cur tunc non affligantur omnes,qui tali morbo Lunatico opprimuntur,sed quidam in isto,& alij in alijs Lunæ aspectibus ignoramus,& diuinum quid esse in morbo excogitamus. Sacer morbus etiam dicitur,præcipuè ab Hippocrate in suo libro de Morbo Sacro, & de Nomine huius Morbi, hæc dicit verba. De Morbo Sacro (vulgò) appellato sic se res habet. Nulla re alijs diuinior esse morbis,neque sacratior,verum naturam habet,quam etiam reliqui morbi vndè fiunt. Admiramur valdè,quãdo paroxismos huius morbi videmus,& cogitamus aliquid arcanum, vel sacrum in hoc reperiri morbo, cum non possimus illud scrutari. Vocatur Arreptitius,quando causatur à Dæmone solo (præcipuè ab Ecclesiasticis Authoribus) nam qui talem morbũ patiũtur, quasi arrepti sunt. Comitialis morbus vocatur ab Hipp.lib.2.aph.45 & lib.de ratione victus in morbis acutis, & alibi. Quoniã

comitia dirimebãtur casu alicuius hac affectione affecti, vt Rosinus de antiquitatibus Romanorũ. Herculeus iste dicitur, quia putant Herculẽ isto morbo fuisse oppressum, qui fallũtur; non enim hac affectione, sed insania liberauit, quando filios suos trucidauit, quos ex Mexera susceperat. Herculeus dicitur, quia fortis, & insuperabilis; multi enim homines nõ possũt Lunaticũ in forti paroxismo vehemẽtibus illis motibus cõcussiuis detinere, & videtur ad id præstãdum vires Herculeas esse necessarias. Caducus etiã morbus vocatur; nã ita destituũtur durante paroxismo à sensu, & motu naturali, vt nõ possint nõ cadere, vnde Caducus appellatur ab aliquibus. Insputatus vocatur, quia in sputo spumoso, quod in ore aparet cognoscitur, quod talis morbus est, qui Lunaticus dicitur. Infantibis vel Puerilis vocatur, quia quos frequẽter apprehendit sunt in pueritia, vel infantia, quãuis postea per cæteras protrahatur ætates, & in Hispania si in dicta contingat ætate, vocatur *alferecia*, & si in adulta, *gota coral*, & alio nomine, *mal de coraçon*. Et in mulieribus (in quibus frequentior inuenitur iste Lunaticus morbus forsã Luna habet aliquã cum ipsarũ temperatura symbolizationẽ, vel sympathiã) *desmayo*. Ab aliquibus antiquis Sonticus appellatur, vel quia (vt

Aul.

Aul.Gel.lib.20.c.1.) maximè ſua pernitie hominē omnino reddit impeditū ad optimas actiones, vt ad iudiciū cogi non poſsit; vel quia circūſtantes nocet, & offendit, ſiquidē ſolet eos vexare, & arripere. Epilepſia eſt nomē, quo Latini, tā antiqui, quàm recentiores vtuntur frequēter, vt videre eſt apud Galenū, Auicenā, Gētilem, Petrum Garciam, Donatum ab Altomari, Rondoletum, Mercurialem, Maſariam, Paſqualem, Mercatum, Valleſium, & alios quamplurimos.

Signa huius Lunaticæ affectionis reſtat inueſtigare, vt ipſam cognoſcamus. Dico igitur, quod ſunt ſigna antecedentia, paroxiſmum, vt mæſtitia corporis, atque animi, inconſtantia cū motu minime voluntatio, eorum quæ pręceſſerunt, obliuio, inſomnium, viſiones nocturnæ, & turbulentæ, dolor capitis, faciei pallor, & linguæ inordinatus motus, quam multi (durante acceſione) mordent, & cognoſcunt futurum eſſe cito paroxiſmum, & diſponunt ſe, vt in lecto contingat. Et ſunt ſigna durante paroxiſmo, vel acceſione, quæ a Sacris Hiſtoriatoribus ſunt relata, nempè ſæpè cadit in ignem, & crebro in aquam, ſpumat, ſtridet dentibus, & areſcit. Inter iſta ſigna quædam ſunt communia,

quæ in alijs affectionibus reperiũtur, veluti accidẽtia cõmunia, quę plurimis conuenire possunt: qualia sũt stridor dentiũ, & arescentia. De dentiũ stridore habemus Hippoc. primo Prognosticorum multoties id febriscitantibus euenire. Et Galenus in Com. dicit fieri stridores, quoties musculi in temporibus, & maxillis conuulsione commouentur, interdum affectis ipsis musculis ab ipso exortu. Quod quidẽ in dicto Lunatico morbo contingit, vt ex ipsiusnatura, & parte affecta constabit. Et similiter febriscitantes, si ardenti apprehendantur febre arescunt. Et quædam sunt signa propria alio nomine pasonomonica, scilicet frequenter cadere, & spumare. Frequenter siue crebro cadere nulli conuenit alij morbo, vndè caducus vocatus fuit. & si dicat aliquis, quod vertiginosi aliquãdo cadunt, dico verum esse, sed non ita crebro, & quod simul spument, ac Lunatici, qui meatus habẽt respirationis (durãte paroxismo) obtusos, vt nõ posit aër, nisi per angustiã ægredi propter impeditũ transitũ ab humore obstruẽte, & ita fit, vel apparet in ore, & naribus spuma

Lunatici morbi natura cõsistit, in hoc quod sit vniuersalis concutio (id est, omnium partiũ) non perpetua, sed per temporum intervalia. Fe-

re

re omnes Medici existimant prærequiri obstructionem, qui falluntur cum in alijs affectibus capitis reperiatur, & non sit Lunaticus morbus. Requiritur verò morbus in compositione necessario, & simul irritatio alicuius qualitatis, ob quam cerebrum media facultate pellente moueatur, & contrahatur, vel comprimatur in semetipsum; vt constat ex subintratione aliqua ex forti aliquo ictu, vel intensa frigiditate, vt ventriculi ipsius cerebri parui fiant, & tunc nisi ex accidenti, fluente scilicet humore non datur circuitus, nam victa causa à natura sani fiunt. Qui vero paroxismos plurimos habent, vt Lunaticus relatus, qui modo in igne, & crebro in aquam cadebat, ab humore calido, & mordaci fiebat, ita vt ipsum cerebrum pro particulari intemperie alimentum per venas communicatum ad sui nutritionem in malum conuerteret humorem, & ita crebra, & frequens erat affectio; quia erat per propriam passionem, & vt refert, ex multo tempore ab infantia scilicet, ad diuersitatem aliarum, quæ per consensum totius, vel partium infernarum fiunt.

Quibus contingat ætatibus Lunaticus morbus, & cur inter hæreditarios numeretur, sequitur, vt dicamus, Hippocrat. lib. de Sacro Mor-

bo, hæc dicit. Postquam vero viginti anni præterierunt, non amplius hic morbus corripit præterquam paucos, aut nullum ex puero connutritus fuerit, venę enim amplæ sunt, & cerebrum compactum est, & acerbum, ac frigidũ: quare non defluit in venas, si vero deffuxerit sanguinem non superat multum, ac calidũ existentem. Ex his enim rationibus constat, quod plerumque infantili aduenit ætati, quia in ista plurima exacerbatur humiditas excrementitia, & quia cerebrum debile est, & propter suam teneritudinem, & mollitiem excrementa recipit, & tardius propter expultricis debilitatem nociuum expellit; vnde euenit, quod qui ab infantia incipiunt Lunatico affici morbo annorum habitudine contracta, tardius, vel nunquã sanantur, vt Hipp. 2. sec. aphor. 45. Quicumq; iuuenes morbo comitiali laborant, mutatione maxime ætatis, & temporum, & locorum, & victuum quoque liberant, quia hæc deseruiunt, vt medicamina ad reductionem cerebri ad optimam temperaturam, & ita mulieres, qui viris humidiores sunt, similemq; temperaturam habent cum infantulis magis, hac affectione affliguntur. Et qui ita affecti filios generant Lunaticos: Hæc enim ægritudo inter hæreditarias

ab Hipocrate adnumeratur, & dicit: Contingit hic morbus ſecundum genus. Doctor Antonius Ponze de ſancta Cruz hæreditariũ morbum breuiter, vt ſolet, & doctè lib. de Diuino in Morbis definit. Morbus hæreditarius eſt affectus præternaturam læſiuus ab anteceſſoribus, & in poſteros per principia generationis deriuatus. Dicitur læſiuus ad diuerſitatẽ aliorum morborum, qui actu lædunt. Hæreditarij vero non eſt neceſſarium, vt actu lædant, ſed quod lædere poſsint. Nam multi ſunt hæreditarij, qui organici ſunt, & non apparet mala cõformatio, vel figura, niſi in adulta ætate, & ſimiliter qui in mala diſpoſitione conſiſtunt reſiſtit natura per aliquod tempus vſquequo vincatur, & tũc apparet morbus in ſemine, vel ſanguine contractus. Qui enim Lunatici ſunt medio ſemine ad modum caracteris, vel ſigilli cõmunicant ſucceſſoribus ſuis morbificam diſpoſitionem, & expertus ſui in quodam Principe, qui hac affectione patiebatur hæreditaria ex parentibus, avis, & proavis, alijſque anteceſſoribus.

(§)

CA-

CAPVT XXVI.

De Arreptitijs, siue Dæmonia habentibus.

ARREPTITII vocantur, qui à Dæmone Arrepti vexantur. Constat, ex sacris Historiatoribus plurimis in locis sanasse Christum, quàm plurimos Dęmonia habentes, vt cap. 17. Matth. & D. Lucas c. 6. ait
Luca cap. 6. vers. 18. *Infirmi, & qui vexabantur ab spiritibus sanabantur omnes*. Hoc est, vt aduertit Sanctacruz lib. de Morbo Sacro, sanabantur omnes, siue Lunatici, siue non, & siue Lunatici essent à Dæmone, siue non. Constat igitur, quòd tales Arreptij cum ipsos sanasset infirmi erant, ad nos igitur pertinebit de ipsis agere, hoc est, de affectione, qua afficiebãtur causata à Dæmone. De Arreptitio, vt Arreptitius est, non est noster sermo: nam non implicat hominem Dæmonium habere manente corpore inoffenso. At cùm Dæmon nihil agat propter bonum, sed propter malum finem. Et si bonum aliquando contingit, non est, quia ipse vellet bonum (implicat enim cum sua natura vitiata) sed vt ex ipso sequatur aliquod malum. Hinc est,

est, quod si intra corpus existat non possit, non aliquod causare malum, & quia plurimos potest causare morbos, & nullum frequentius experimur, quam Lunaticum, dubitatur quid sit huius rei in causa?

Diuersi Authores diuersas rationes afferunt. Origenes tractat. 4. in Matthæum 4. Chrisostomus hom. 58. Hieronym. in Comm. in c. 4. Matth. vers. 24. vt Lunam Dei creaturam infamet, quasi morborum causa sit. Quod non tam mirabile est, quam Hæreticorum putant interpretes. Experientia enim docet quanto studio (dicit Maldonatus super cap. 17. Matth.) persuadere Dæmones conentur nonnullas creaturas plusquam illis natura concessit habere virtutis. Beda vero, & Euthymius, vt creatorem ipsum in inuidiam, & odium adducant, hominesque illum blasphement. At ad Naturalia accedamus, & vt Medici loquamur.

Dico ergo, quod possunt, in corpore à naturalibus causis indicibiliter complicatis tales animi, & corporis oriri passiones, vt nullum Medicus ad inueniat adaptatum remedium, quo tales possit morbos mederi. Multæ enim diuersæ, vel distinctæ affectiones adiunctę petũt multa, & diuersa remedia, cum vero pro illa affectuũ con-

cet, qui à dæmone cruciabantur. Nõ enim ſemper Lunatici habent dæmonium, neque è contra; contingit tamen multoties ſimul inueniri, vt in iſto ægroto putant aliqui. Diuus Chriſoſtomus ſcribit homil. 58. neque à natura, neque à morbo, ſed dæmonis arte, ac vexatione Lunaticum fuiſſe: nam quem Marcus Surdũ, & mutum ſpiritum, quem Lucas Dæmoniacũ, Matthæus Lunaticum appellauit.

Verùm, vt in hoc cap. claritate procedamus, prius de nominibus huius Lunaticæ affectiònis agemus, ne nominum multitudo confuſsionẽ cauſet. Deindè de ſignis, vt ipsã cognoſcamus; an ſcilicet ſufficiant relata, ſæpè cadit in ignem, & crebrò in aquam, ſpumat, ſtridet dentibus, & areſcit. Poſtea in quo eius natura conſiſtat: & vltimo quibus contingat ætatibus, & cur morbus hereditarius eſt?

Dicitur morbus Lunaticus, & præcipuè in ſacris Litteris, hoc nomine magis exprimitur, vel ſignificatur iſte morbus (etiam ſi alij Lunatici ſint, vt inſania quam videmus exacerbari ad Lunæ motum, & per quædam intervalla deſinens, imò in Hiſpania cum aliquem videmus, non mente ſecurum, licet quietum, & placatum dicimus habere lucida intervalla) quia ad

Lunæ

Lunæ certas conuerſiones,& quadraturas exagitatur cerebri affectio. Diuinus ſimiliter dicitur propter eandem dictam rationem,ex Lunę motu deſumptam (omne enim , quod ex cęlorum influxibus venit diuinum dicitur) nam quamuis in aliquibus Lunæ poſitionibus affligi ægros videmus;cauſam tamen quare id in illa poſitione contingat,& cur tunc non affligantur omnes,qui tali morbo Lunatico opprimuntur,ſed quidam in iſto,& alij in alijs Lunæ aſpectibus ignoramus,& diuinum quid eſſe in morbo excogitamus. Sacer morbus etiam dicitur,præcipuè ab Hippocrate in ſuo libro de Morbo Sacro , & de Nomine huius Morbi, hæc dicit verba. De Morbo Sacro (vulgò) appellato ſic ſe res habet.Nulla re alijs diuinior eſſe morbis,neque ſacratior,verum naturam habet,quam etiam reliqui morbi vndè fiunt.Admiramur valdè,quãdo paroxiſmos huius morbi videmus,& cogitamus aliquid arcanum, vel ſacrum in hoc reperiri morbo, cum non poſsimus illud ſcrutari. Vocatur Arreptitius,quando cauſatur à Dæmone ſolo (præcipuè ab Eccleſiaſticis Authoribus) nam qui talem morbũ patiũtur , quaſi arrepti ſunt. Comitialis morbus vocatur ab Hipp.lib.2.aph.45 & lib.de ratione victus in morbis acutis , & alibi. Quoniã

comitia dirimebãtur casu alicuius hac affectione affecti, vt Rosinus de antiquitatibus Romanorũ. Herculeus iste dicitur, quia putant Herculẽ isto morbo fuisse oppresũm, qui fallũtur; non enim hac affectione, sed insania liberauit, quando filios suos trucidauit, quos ex Mexera susceperat. Herculeus dicitur, quia fortis, & insuperabilis; multi enim homines nõ possũt Luna ticũ in forti paroxismo vehemẽtibus illis motibus cõcussiuis detinere, & videtur ad id præstãdum vires Herculeas esse necessarias. Caducus etiã morbus vocatur; nã ita destituũtur durante paroxismo à sensu, & motu naturali, vt nõ possint nõ cadere, vnde Caducus appellatur ab aliquibus. Insputatus vocatur, quia in sputo spumoso, quod in ore aparet cognoscitur, quod talis morbus est, qui Lunaticus dicitur. Infantibis vel Puerilis vocatur, quia quos frequẽter apprehendit sunt in pueritia, vel infantia, quãuis postea per cæteras protrahatur ætates, & in Hispania si in dicta contingat ætate, vocatur *alferecia*, & si in adulta, *gota coral*, & alio nomine, *mal de coraçon*. Et in mulieribus (in quibus frequentior inuenitur iste Lunaticus morbus forsã Luna habet aliquã cum ipsarũ temperatura symbolizationẽ, vel sympathiã) *desmayo*. Ab aliquibus antiquis Sonticus appellatur, vel quia (vt

Aul.

Aul. Gel. lib. 20. c. 1.) maximè sua pernitie hominē omnino reddit impeditū ad optimas actiones, vt ad iudiciū cogi non posit; vel quia circūstantes nocet, & offendit, siquidē solet eos vexare, & arripere. Epilepsia est nomē quo Latini; tā antiqui, quàm recentiores vtuntur frequēter, vt videre est apud Galenū, Auicenā, Gētilem, Petrum Garciam, Donatum ab Altomari, Rondoletum, Mercurialem, Masariam, Pasqualem, Mercatum, Vallesium, & alios quamplurimos.

Signa huius Lunaticæ affectionis restat inuestigare, vt ipsam cognoscamus. Dico igitur, quod sunt signa antecedentia, paroxismum, vt mæstitia corporis, atque animi, inconstantia cū motu minime voluntatio, eorum quæ præcesserunt, obliuio, insomnium, visiones nocturnæ, & turbulentæ, dolor capitis, faciei pallor, & linguæ inordinatus motus, quam multi (durante accesione) mordent, & cognoscunt futurum esse cito paroxismum, & disponunt se, vt in lecto contingat. Et sunt signa durante paroxismo, vel accesione, quæ a Sacris Historiatoribus sunt relata, nempè sæpè cadit in ignem, & crebro in aquam, spumat, strider dentibus, & arescit. Inter ista signa quædam sunt communia,

quæ in alijs affectionibus reperiũtur, veluti accidẽtia cõmunia, quę plurimis conuenire possunt: qualia sũt stridor dentiũ, & arescentia. De dentiũ stridore habemus Hippoc. primo Prognosticorum multoties id febriscitantibus euenire. Et Galenus in Com. dicit fieri stridores, quoties musculi in temporibus, & maxillis convulsione commouentur, (interdum) affectis ipsis musculis ab ipso exortu. Quod quidẽ in dicto Lunatico morbo contingit, vt ex ipsiusnatura, & parte affecta constabit. Et similiter febriscitantes, si ardenti apprehendantur febre arescunt. Et quædam sunt signa propria alio nomine pasonomonica, scilicet frequenter cadere, & spumare. Frequenter siue crebro cadere nulli conuenit alij morbo, vndè caducus vocatus fuit. & si dicat aliquis, quod vertiginosi aliquãdo cadunt, dico verum esse, sed non ita crebro, & quod simul spument, ac Lunatici, qui meatus habẽt respirationis (durãte paroxismo) obtusos, vt nõ posit aẽr, nisi per angustiã ægredi propter impeditũ transitũ ab humore obstruẽte, & ita fit, vel apparet in ore, & naribus spuma

Lunatici morbi natura cõsistit, in hoc quod sit vniuersalis concutio (id est, omnium partiũ) non perpetua, sed per temporum intervalla. Fere

re omnes Medici existimant prærequiri obstructionem, qui falluntur cum in alijs affectibus capitis reperiatur, & non sit Lunaticus morbus. Requiritur verò morbus in compositione necessario, & simul irritatio alicuius qualitatis, ob quam cerebrum media facultate pellente moueatur, & contrahatur, vel comprimatur in semetipsum; vt constat ex subintratione aliqua ex forti aliquo ictu, vel intensa frigiditate, vt ventriculi ipsius cerebri parui fiant, & tunc nisi ex accidenti, fluente scilicet humore non datur circuitus, nam victa causa à natura sani fiunt. Qui vero paroxismos plurimos habent, vt Lunaticus relatus, qui modo in igne, & crebro in aquam cadebat, ab humore calido, & mordaci fiebat, ita vt ipsum cerebrum pro particulari intemperie alimentum per venas communicatum ad sui nutritionem in malum conuerteret humorem, & ita crebra, & frequens erat affectio; quia erat per propriam passionem, & vt refert, ex multo tempore ab infantia scilicet, ad diuersitatem aliarum, quæ per consensum totius, vel partium infernarum fiunt.

Quibus contingat ætatibus Lunaticus morbus, & cur inter hæreditarios numeretur, sequitur, vt dicamus, Hippocrat. lib. de Sacro Mor-

bo, hæc dicit. Postquam vero viginti anni præterierunt, non amplius hic morbus corripit præterquam paucos, aut nullum ex puero connutritus fuerit, venę enim amplæ sunt, & cerebrum compactum est, & acerbum, ac frigidũ: quare non defluit in venas, si vero deffuxerit sanguinem non superat multum, ac calidũ existentem. Ex his enim rationibus constat, quod plerumque infantili aduenit ætati, quia in ista plurima exacerbatur humiditas excrementitia, & quia cerebrum debile est, & propter suam teneritudinem, & mollitiem excrementa recipit, & tardius propter expultricis debilitatem nociuum expellit; vndè euenit, quod qui ab infantia incipiunt Lunatico affici morbo annorum habitudine contracta, tardius, vel nunquã sanantur, vt Hipp. 2. sec. aphor. 45. Quicumq; iuuenes morbo comitiali laborant, mutatione maximè ætatis, & temporum, & locorum, & victuum quoque liberant, quia hæc deseruiunt, vt medicamina ad reductionem cerebri ad optimam temperaturam, & ita mulieres, qui viris humidiores sunt, similemq; temperaturam habent cum infantulis magis, hac affectione affliguntur. Et qui ita affecti filios generant Lunaticos. Hæc enim ægritudo inter hæreditarias

ab

ab Hipocrate adnumeratur, & dicit: Contingit hic morbus secundum genus. Doctor Antonius Ponze de sancta Cruz hæreditariũ morbum breuiter, vt solet, & docte lib. de Diuino in Morbis definit. Morbus hæreditarius est affectus præternaturam læsiuus ab antecessoribus, & in posteros per principia generationis deriuatus. Dicitur læsiuus ad diuersitatẽ aliorum morborum, qui actu lædunt. Hæreditarij vero non est necessarium, vt actu lædant, sed quod lædere possint. Nam multi sunt hæreditarij, qui organici sunt, & non apparet mala cõformatio, vel figura, nisi in adulta ætate, & similiter qui in mala dispositione consistunt resistit natura per aliquod tempus vsquequo vincatur, & tũc apparet morbus in semine, vel sanguine contractus. Qui enim Lunatici sunt medio semine ad modum caracteris, vel sigilli cõmunicant successoribus suis morbificam dispositionem, & expertus fui in quodam Principe, qui hac affectione patiebatur hæreditaria ex parentibus, auis, & proauis, alijsque antecessoribus.

CA-

est, quod si intra corpus existat non possit, non aliquod causare malum, & quia plurimos potest causare morbos, & nullum frequentius experimur, quam Lunaticum, dubitatur quid sit huius rei in causa?

Diuersi Authores diuersas rationes afferunt. Origenes tractat. 4. in Matthæum 4. Chriso-stomus hom. 58. Hieronym. in Comm. in c. 4. Matth. vers. 24. vt Lunam Dei creaturam infamet, quasi morborum causa sit. Quod non tam mirabile est, quam Hæreticorum putant interpretes. Experientia enim docet quanto studio (dicit Maldonatus super cap. 17. Matth.) persuadere Dæmones conentur nonnullas creaturas plusquam illis natura concessit habere virtutis. Beda vero, & Euthymius, vt creatorem ipsum in inuidiam, & odium adducant, hominesque illum blasphement. At ad Naturalia accedamus, & vt Medici loquamur.

Dico ergo, quod possunt, in corpore à naturalibus causis indicibiliter complicatis tales animi, & corporis oriri passiones, vt nullum Medicus adinueniat adaptatum remedium, quo tales possit morbos mederi. Multæ enim diuersæ, vel distinctæ affectiones adiunctę petũt multa, & diuersa remedia, cum vero pro illa affectuũ con-

le quamuis calida,& ficca eft; quia ex ipfa acutæ,& periculofæ fiunt affectiones, & cum ipfe non fit dominus, neque minus auctor vitæ, nō poteft ipfam, fed folus Deus principium vitæ, & omnium rerum auferre:) Hinc eft, quod non vtatur biliofo humore ad corpora crucianda. Neque vtitur pituita, nam ipfa frigida, & humida eft, quam fi ad cerebrum permutet potius affectus foporiferos, quam dolorificos caufauit, & quamuis lenta & craffa, & longos pofsit ex ipfa caufare morbos, tamen quia eft benigna, & inepta ad horrendos, & terribiles caufare morbos (quales caufat dæmon.) Hinc eft, quod non vtatur ipfa, vtitur humore melancholico, qui frigidus, & ficcus eft, terreftris ex fua natura, & fi in atram bilem per vftionem mutetur niger fit, vt tardi, vel pigri motus fint, afpectu graves, terribiles, & horrificæ affectiones. Vapores qui eleuantur infuaues funt, cordis affectionem inducunt, triftitiam, timoremque pariunt, acres & mordaces facultati tactiuæ, ita vt fenfationem pungitiuam inferant, facultates irritant omnes, tam vitales, quam animales, & naturales, quæ violentiam pati videntur. Nullus eft ad Lunaticam affectionem caufandam, fuofque paroxifmos cum motibus con-
cu-

cuſiuis repetendos idonior: has enim affectiones dæmon cauſat applicando actiua paſsiuis, & portionem humoris atrabiliarij ex toto corpore in venas capitis tranſmutat, & cumulat. Ita vt loco ſanguinis, & aliorum humorum, tam ad generandos animales ſpiritus, quàm ad ipſarum partium contentarum, vel continentium capitis nutritionem, vt cerebri naturalis temperies deperdatur, & morbifica introducatur, & vt ad cauſandos frequentes, & crebros paroxiſmos, vt nunc in ignem, nunc in aquam cadat, & corpus quam pluries offendatur; portionem neceſſariam, vel ſufficientem ad cerebri ventriculos deducit neruorum exortum ſimiliter offendentem. Ipſe enim dæmon ſubſtãtia ſpiritualis eſt, quæ non eſt immediatè operatiua, & ita cum ſit intelligentiſsimus, omneſque ſciat artes, & ſcientias naturales, ſcit exactiſsimè Medicinam, & ſcit excellentiſsimè ſanare, & offendere, vel lædere. *Sanare enim ipſi implicat*, nam in ſe ſanitas eſt quid bonum; lædere autem non implicat, imò id in executionem ponit; quia ex ſe eſt quid malũ, & ſuum eſt officium corpora crutiare, & quia nullo alio acriter corpus crutiatur Lunaticum cauſat morbũ,
1. lib. Reg. c. 16. vers. 14. qualis c. 16. lib. 1. Regum depingitur. *Ecce ſpiritus*

tus Dei malus exagitat te, iubeat Dominus noster, & serui tui, qui coram te sunt, quærent hominẽ sciẽtem psalere Cythara, vt quum arripuerit te spiritus Domini malus psalat manu sua, & leuius feras. Possint ne cantilenæ, & musicorum instrumentorum concinnus sonitus placare naturaliter Lunaticorum hominum Symthomata à dæmone causata, exagitat Vallesius cap. 28. sacræ Philosophiæ supra dictum nuper locum, & plura acuta, & docta, vt solet, docet, ideò amplius non immoror.

CAPVT XXVII.

De Conuulsione.

SACRI Historiatores Matth. cap. 8 & Lucas cap. 7. referunt. *Quod cum transisset IESVS in Capharnaum accessit ad eum Centurio rogans eum: Domine puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur.* Quod in præsenti circa hoc sacrum testimonium dubitari potest, an talis pueri affectio sit paralysis, propter illud verbum, *paralyticus* (quod expositores nullo modo dubitant ducti ex vocabuli significatione, vt Maldonatus, & cæteri cum ipso) an vero *Math. cap. 8. vers. 6.*

ro

ro propter illud verbum, *torquetur*, alia à paralysi distincta, vel diuersa ægritudo sit.
Imprimis videtur talem passionem non esse paralysim; nam paralysis priuatio sensus & motus est: non enim est dolor, neq; doloribus potest torqueri, vbi non est sensatio obiecti molestantis. Qui paralysi afficiuntur immobiles existũt, insensibilesq; similiter, & afflicti sunt, quia ita se affecti videntur, non tamẽ doloribus pro ratione paralysis, vexantur. Si significationem propriam, & rigorosam huius verbi, *torquetur* inspicimus, apud Ambrosium Calepinum, inueniemus, quod idem est torquere, quod tormentis in quempiam sæuire. Et non solum ad corpus, sed ad animam extenditur pro eo quod est angere, siue molestia afficere. Cum ergo affectio relata potius corporis, quam animi videatur, cum dicat, *iacet* (non enim si animus torqueretur, vt solet à passionibus, ira, timore, tristitia, & alijs diceret, quod in domo iacebat puer paralyticus) de corpore igitur venit intelligenda locutio, ac si diceret, non solum doloribus, afflictionibus, & tormentis corpus pueri affligitur, & torquetur, sed ac si esset paralyticus in domo iacet impeditus ad motum; quia instrumenta quibus necessario fit motus sunt

musculi,& isti doloribus, & tormentis multis torquentur, impotentesq; sunt ad suã propriã eliciendã actionem, quæ motus volũtarius est.

Convulsus itaque iacebat puer: ita existimat Ader in suo Libello de Morbis Euangelij. Convulsos habebat musculos, hoc est, retractos versus suam origenem, quæ cerebrum est, ad modum cordarum alicuius musici instrumenti, corrigiæ, vel pellis, quæ si ad ignis immoderatum calorem applicatur, non solũ calefit, sed in sese corrugatur, & contrahitur. Animali viuo existente musculi versus suam originem retrahuntur; quia cum ab obiecto mordicante vrente, terribili sensui improportionato, nimisque dolorifico, & naturæ corruptiuo fugiant, veluti patrocinium, & fauorem quęrunt, & confugiunt in cerebrum, quod principium, & origo motus, & sensus est. Huius autem cõvulsionis in vniuersum tres à Græcis tradũtur species, vel differentiæ, Græcis similiter appellatę nominibus. Quarũ prima Emprosthothanos dicitur, id est, tẽtio ad interiora, & fit quoties caput, ceruix, & reliquũ corpus in pectus cõtrahitur. Secũda Opisthothanus dicitur, id est, tẽtio ad posteriora. Accidit autẽ cũ caput in dorsũ convellitur, scapulisq; velut annectitur. Tertia

ex vtraque est cōposita,& Thethanus appellā-tur,qua affectione,qui laborant recta ceruice, velut frigore concreti rigēt;ita vt neque in hāc vel illā partem flecti possint,sed quasi ab vtraq; impediantur in neutram inclinant. Quæ quidē conuulsionis species, vel differentia reliquis periculosior est, authore Hippocr. 5. lib. apho. 6. quicumque Thethano corripiūtur in quatuor diebus pereunt;si vero hos effugerint sanantur. Vndè constat, quod peracutus est morbus, cū in primo criticorum dierum termino fiat terminatio,quasi ex materia tenuissima fiat,quæ si in vaporem à calore naturali, vel medicamentis resoluatur sanantur ipsa oppresi: sin minus pereunt,quia cor & cerebrum apprehendit, & id ipsum facit in cordis carne,& cerebri parenchyma,ac in musculis.

Philosophari poterit quis ex illo verbo,*torquetur*,quod si pueri affectio erat recēs fuit Thethanus;si vero per dies multos iacebat erat alia ex duabus dictis cōvulsionis spetiebus,quæ etiā si minus periculosè vitæ magnum habent periculum,vt apud Hippocrat.plurimis in locis,& cœteros Scriptores Medicos est videre, & inter affectus capitales,& periculosos ipsam conuulsionem collocare videmus.

CAP.

CAPVT XXVIII.

De Paralysi.

QVAM plurima sunt in sacris Litteris de Paralysi testimonia præcipuè vero, apud sacros Historiatores, vt Matth.cap.9.*Et ecce offerebant ei Paralyticum iacentem in lecto, quem sanauit cum dixit. Surge tolle lectum tuum, & vade.* Aliqui Expositores agunt de difficultate curationis huius affectus sumpta occasione, ex verbis, quæ locutus fuit Christus prius, antequam ipsum sanasset paralyticum, nempè, *remittuntur tibi peccata tua*, vt videre est in Maldonato, & Actor.cap.8. *Multi autem Paralytici, & claudi curati sunt.* De qua quidem affectione dicit Cornelius, quod excepta mortui suscitatione, Paralyticorum curatio est illustrior.

Math. cap. 9. vers. 2.

Acto. c. 8. ver. 7.

Paralysis idem sonat, quod emiplexia, & emiplexia est quasi quædam apoplexia. Diffinitur à Paulo lib.2.cap.18. his verbis, si dimidia ipsius, id est, corporis regio infestatur illarum partium resolutio dicitur Paralysis. Huius

ſententiæ eſt Galenus lib. 3. de locis cap. 10. ita ait: vbi vero alteri lateri, aut dextro, aut ſiniſtro id accidit, reſolutio nominatur, eius ſcilicet partis, in qua conſiſtit interdum dexteræ, interdum ſiniſtræ. In qua re conueniunt Ætius tetrabili 2. ſermone 2. cap. 28. Tralianus lib. 1. cap. 16. Itaque Paralyſis priuatio eſt ſenſus & motus, & conuenit in Synthomatibus cum apoplexia, & differt in partibus effectis: nam apoplexia principem partem, quæ principium ſenſus, & motus eſt afficit nempe cerebrum. Paralyſis vero quamcumque corporis partem apprehendit. Et ſicuti in apoplexia cerebri cauitates, ventriculi nempe implentur, vnde animal ſuffocatur, & actiones rectrices impediuntur. In Paralyſi nerui, qui ad ſenſum, & motum habent ſe vt canales, obſtruuntur, & impeditur deſcenſus facultatis animalis ad ſenſum & motum, ſiue deſcenſus fiat medijs animalibus ſpiritibus per cauitates exiguas ſenſui latentes, vel media aliqua qualitate, vel illuſtratione.

Dubitant Medici, an Paralyſis dicat priuationem ſenſus, & motus ſimul, an vero vtriuſque iſtorum ſeorſim? Ad quod cum

Gale-

Galeno lib. 2. de Causis Symptomatum, cap. 5. dicimus, quod impropria Paralysis dicitur de priuatione vnius, vel alterius. Propria autē est, quando membrum sensu, & motu priuatur, siue dextri, vel sinistri lateris, siue vtriusque. Divus Lucas cap. 5. refert hæc verba de Paralytico quodam. *Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat Paralyticus, & quærebāt eum inferre, & ponere ante eum.* Quæ quidem Paralysis videtur de illa rigorosa, quæ priuationem sensus, & motus dicit; non vero de illa, quæ vnum, vel alterum: cum ita immobile, & insensibile esset corpus, vt in proprio lectulo portari à quatuor hominibus indiguerit. Quando vero Divus Matthæus cap. 4. refert Iesum plurimos Paralyticos curasse. *Et abijt opinio eius in totā Syriam, & obtulerant ei omnes malè habentes varijs lāguoribus, & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & Lunaticos, & Paralyticos, & curauit eos.* Est intelligendum, ex hoc loco curasse IESVM homines omni modo Paralysi affectos, qui sensu, vel motu, & sensu simul, & motu erant priuati.

Luc. cap. 5. vers. 18.

Matth. c. 4 vers. 24.

Offert se quædam dubitatio communis inter Medicos, an posit dari priuatio sensus, sine motu, & è contra? Sed ad hanc dubitationem

cum distinctione diluemus. Nam vel loquitur de Paralysi in eadem parte exquisita per vnum nervum, vel in diuersis per diuersos neruos. Si secundum certum est posse defici sensum absq; motu, & è contra, obstructo neruo, qui solum sensum affert, vel obstructo, qui solum motum. Difficultas est de primo, & quod possit defici motus manente sensu, non dubitatur cũ maiorem desideret influxum motus quam sensus. Difficultas est, an in vna parte exquisita, hoc est, minutissima possit sensus deperdi, non diminuto motu? Argẽterius, posse reperiri motum sine sensu, & è contra, existimat, quia diuersas esse temperies ad vnum, quam ad alterũ tenet. Nam ad sensum humiditas (dicit) requiritur, ad motum vero siccitas, cum enim possit quælibet ex his qualitatibus intendi, vel remitti. Si humiditas intenditur, augetur pro materiali sensus, & diminuitur motus pereunte siccitate, & è contra. Hæc enim opinio est falsa, & probatur: nam ex hoc sequeretur, quod ex qua libet siccitate, vel humiditate intensa intenderetur motus, vel sensus. Tum etiam, nam quod est potens ad magis, est potens ad minus eadem spectata virtute. Sed ad motum maius spectatur robur, quam ad sensum. Nã sensus est quæ-

dam passio, & motus est actio. Ergo implicat quod deperdito motu, non deperdatur sensus? Et quamuis verum sit ad sensum humiditatem requiri, & ad motum siccitatem, tamen hoc debet intelligi cum latitudine taliter, vt non ex quacumque intensa humiditate augeatur motus, & e contra. Tum vltra tenet Vallesius, tam intensa potest esse musculi siccitas, vt ineptior musculus reddatur ad motum, vt in conuulsis, & hecticis experimur.

Hoc enim Synthoma in actione abolita vocatur Paralysis, & si fit in actione diminuta torpor, vel stupor: nam pars veluti torpore affecta redditur, & à plurimis potest dependere morbis. Nam vel ab obstructione, quæ morbus est partis organicæ in cauitate, quæ nimis angusta redditur, vel à compressione, vt facto tumore, vel ligatura, & à solutione continui: nam si neruus scindatur, quid mirum quod pax inferior nerui a sensu, & motu destituatur. Nec nõ etiã ab intemperie frigida, & sicca. De frigida cõstat, nam corrumpendo spiritus intensa frigiditas priuantur dispositione necessaria ad formæ conseruationem. Tùm, quia nerui inepti redduntur propter nimiam condensationem factam à frigore ad influxum recipiendum. Vn-

dè contingit in itinerantibus per loca niuosa, quod antequam Paralysi afficiantur prius stupore apprehendantur. De siccitate, communis est consensus Philosophorum, & Medicorum: nam constat posse causare Paralysim comprimendo partem, sicuti frigiditas exprimendo humidum, ita vt ex vi cõpressionis clausa reddatur ad influxum animalem recipiendum. Et hoc non est intelligendum de nuda siccitate: nam viuo animali, non potest tanta siccitas introduci, quin aliquem habeat adiunctum calorem, & ita dummodo siccitas intensior sit ipso calore Paralysim posse causare, non primario scilicet desiccando, sed secundario, nempè cõprimendo nulli posse esse dubium cogitamus: & quamuis in febribus ardentibus, & hecticis, in quibus magna viget siccitas, id non experiatur, tamen posse contingere tenemus, si siccitas (sicut carnosas) neruosas similiter apprehendat partes. Hoc enim præter ipsam sensus, & motus priuationem cognoscitur, ex membri particularis Paralytici affecti extenuatione, & macie, nam ipso spirituum animalium trãsitu impedito, pars nõ solum priuatiuè est frigida, hoc est, minus calidi influentis consociata, & confortata, sed positiuè frigida: vndè cum frigidi-

ditas condenſet, & partes in minus ſpacium, vel locum veniant, coincidunt partes inter ſe, ita vt neque alimentum, ex toto corpore attrahere poſsint; & ita membra Paralyſi affecta, veluti atrophia afficiuntur, quæ Synptoma eſt in actione diminuta facultatis nutritiuæ, cũ ex alia parte calor natiuus ſemper agat, ſemperq; reſoluat, neceſſarium eſt, quod membrum Paralyſi affectum magnam contrahat debilitatẽ, & quod extenuetur, ita vt in trinam dimenſionem minor fiat, longitudinem ſcilicet, latitudinem, & profunditatem. Et ita quando Chriſtus hominem ſanauit Paralyticum, quem in lecto iacentem, ante ipſum poſuerunt, non ſolum miraculum fuit in ſananda Paralyſi; ita vt ſenſus & motus, quibus membra priuabantur, reſtituerentur, ſed in reſtituendis viribus, per tot annos deperditis, viuificandiſque partibus, & corroborãdis, ac ſi nulla macie, neq; marcore vel atrophia afficerẽtur, & ac ſi ſemper optimo ſanguine, & ſpiritu nutrirẽtur, & ornarẽtur. Cõſtat hoc, nã ſtatim, ac dixit: *Tibi dico, ſurge tolle lectum tuum, & vade in domũ tuã. Et conſurgens coram illis, tulit in quo iacebat, & abijt in domum ſuam magnificans Deum.* Ergo quia non ſolum à Paralyſi liber fuit, & à macie, vel membrorũ mar-

co-

ex vtraque est cōposita, & Thethanus appellā-tur, qua affectione, qui laborant recta ceruice, velut frigore concreti rigēt; ita vt neque in hāc vel illā partem flecti possint, sed quasi ab vtraq; impediantur in neutram inclinant. Quæ quidē convulsionis species, vel differentia reliquis periculosior est, authore Hippocr. 5. lib. apho. 6. quicumque Thethano corripiũtur in quatuor diebus pereunt; si vero hos effugerint sanantur. Vnde constat, quod peracutus est morbus, cũ in primo criticorum dierum termino fiat terminatio, quasi ex materia tenuissima fiat, quæ si in vaporem à calore naturali, vel medicamentis resoluatur sanantur ipsa oppressi: sin minus pereunt, quia cor & cerebrum apprehendit, & id ipsum facit in cordis carne, & cerebri parenchyma, ac in musculis.

Philosophari poterit quis ex illo verbo, *torquetur*, quod si pueri affectio erat recēs fuit Thethanus; si vero per dies multos iacebat erat alia ex duabus dictis cōvulsionis spetiebus, quæ etiā si minus periculosè vitæ magnum habent periculum, vt apud Hippocrat. plurimis in locis, & cœteros Scriptores Medicos est videre, & inter affectus capitales, & periculosos ipsam convulsionem collocare videmus.

CAP.

CAPVT XXVIII.

De Paralysi.

QVAM plurima sunt in sacris Litteris de Paralysi testimonia præcipuè vero, apud sacros Historiatores, vt Matth.cap.9. *Et ecce offerebant ei Paralyticum iacentem in lecto, quem sanauit cum dixit. Surge tolle lectum tuum, & vade.* Aliqui Expositores agunt de difficultate curationis huius affectus sumpta occasione, ex verbis, quæ locutus fuit Christus prius, antequam ipsum sanasset paralyticum, nempè, *remittuntur tibi peccata tua*, vt videre est in Maldonato, & Actor.cap.8. *Multi autem Paralytici, & claudi curati sunt.* De qua quidem affectione dicit Cornelius, quod excepta mortui suscitatione, Paralyticorum curatio est illustrior.

Math. cap. 9. vers. 2.

Acto. c. 8. ver. 7.

Paralysis idem sonat, quod emiplexia, & emiplexia est quasi quædam apoplexia. Diffinitur à Paulo lib. 2. cap. 18. his verbis, si dimidia ipsius, id est, corporis regio infestatur illarum partium resolutio dicitur Paralysis. Huius

ſententiæ eſt Galenus lib. 3. de locis cap. 10. ita ait: vbi vero alteri lateri, aut dextro, aut ſiniſtro id accidit, reſolutio nominatur, eius ſcilicet partis, in qua conſiſtit interdum dexteræ, interdum ſiniſtræ. In qua re conueniunt Ætius tetrabili 2. ſermone 2. cap. 28. Tralianus lib. 1. cap. 16. Itaque Paralyſis priuatio eſt ſenſus & motus, & conuenit in Synthomatibus cum apoplexia, & differt in partibus effectis: nam apoplexia principem partem, quæ principium ſenſus, & motus eſt afficit nempe cerebrum. Paralyſis verò quamcumque corporis partem apprehendit. Et ſicuti in apoplexia cerebri cauitates, ventriculi nempe implentur, vnde animal ſuffocatur, & actiones rectrices impediuntur. In Paralyſi nerui, qui ad ſenſum, & motum habent ſe vt canales, obſtruuntur, & impeditur deſcenſus facultatis animalis ad ſenſum & motum, ſiue deſcenſus fiat medijs animalibus ſpiritibus per cauitates exiguas ſenſui latentes, vel media aliqua qualitate, vel illuſtratione.

Dubitant Medici, an Paralyſis dicat priuationem ſenſus, & motus ſimul, an vero vtriuſque iſtorum ſeorſim? Ad quod cum Gale-

Galeno lib. 2. de Causis Symptomatum, cap. 5. dicimus, quod impropria Paralysis dicitur de priuatione vnius, vel alterius. Propria autē est, quando membrum sensu, & motu priuatur, siue dextri, vel sinistri lateris, siue vtriusque. Divus Lucas cap. 5. refert hæc verba de Paralytico quodam. *Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat Paralyticus, & quærebāt eum inferre, & ponere ante eum.* Quæ quidem Paralysis videtur de illa rigorosa, quæ priuationem sensus, & motus dicit; non vero de illa, quæ vnum, vel alterum cum ita immobile, & insensibile esset corpus, vt in proprio lectulo portari à quatuor hominibus indiguerit. Quando vero Divus Matthæus cap. 4. refert Iesum plurimos Paralyticos curasse. *Et abijt opinio eius in totā Syriam, & obtulerant ei omnes malè habentes varijs lāguoribus, & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & Lunaticos, & Paralyticos, & curauit eos.* Est intelligendum, ex hoc loco curasse IESVM homines omni modo Paralysi affectos, qui sensu, vel motu, & sensu simul, & motu erant priuati.

Luc. cap. 5. vers. 18.

Matth. c. 4 vers. 24.

Offert se quædam dubitatio communis inter Medicos, an posit dari priuatio sensus, sine motu, & è contra? Sed ad hanc dubitationem

cum distinctione diluemus. Nam vel loquitur de Paralysi in eadem parte exquisita per vnum nervum, vel in diuersis per diuersos neruos. Si secundum certum est posse defici sensum absq; motu, & è contra, obstructo neruo, qui solum sensum affert, vel obstructo, qui solum motum. Difficultas est de primo, & quod possit defici motus manente sensu, non dubitatur cũ maiorem desideret influxum motus quam sensus. Difficultas est, an in vna parte exquisita, hoc est, minutissima possit sensus deperdi, non diminuto motu? Argẽterius, posse reperiri motum sine sensu, & è contra, existimat, quia diuersas esse temperies ad vnum, quam ad alterũ tenet. Nam ad sensum humiditas (dicit) requiritur, ad motum vero siccitas, cum enim possit quælibet ex his qualitatibus intendi, vel remitti. Si humiditas intenditur, augetur pro materiali sensus, & diminuitur motus pereunte siccitate, & è contra. Hæc enim opinio est falsa, & probatur: nam ex hoc sequeretur, quod ex qua libet siccitate, vel humiditate intensa intenderetur motus, vel sensus. Tum etiam, nam quod est potens ad magis, est potens ad minus eadem spectata virtute. Sed ad motum maius spectatur robur, quam ad sensum. Nã sensus est quæ-

dam passio, & motus est actio. Ergo implicat quod deperdito motu, non deperdatur sensus? Et quamuis verum sit ad sensum humiditatem requiri, & ad motum siccitatem, tamen hoc debet intelligi cum latitudine taliter, vt non ex quacumque intensa humiditate augeatur motus, & è contra. Tum vltra tenet Vallesius, tam intensa potest esse musculi siccitas, vt ineptior musculus reddatur ad motum, vt in conuulsis, & hecticis experimur.

Hoc enim Synthoma in actione abolita vocatur Paralysis, & si fit in actione diminuta torpor, vel stupor: nam pars veluti torpore affecta redditur, & à plurimis potest dependere morbis. Nam vel ab obstructione, quæ morbus est partis organicæ in cauitate, quæ nimis angusta redditur, vel à compressione, vt facto tumore, vel ligatura, & à solutione continui: nam si neruus scindatur, quid mirum quod pax inferior nerui a sensu, & motu destituatur. Nec nõ etiã ab intemperie frigida, & sicca. De frigida cõstat, nam corrumpendo spiritus intensa frigiditas priuantur dispositione necessaria ad formæ conseruationem. Tùm, quia nerui inepti redduntur propter nimiam condensationem factam à frigore ad influxum recipiendum. Vn-

dè contingit in itinerantibus per loca niuosa, quod antequam Paralysi afficiantur prius stupore apprehendantur. De siccitate, communis est consensus Philosophorum, & Medicorum: nam constat posse causare Paralysim comprimendo partem, sicuti frigiditas exprimendo humidum, ita vt ex vi cõpressionis clausa reddatur ad influxum animalem recipiendum. Et hoc non est intelligendum de nuda siccitate: nam viuo animali, non potest tanta siccitas introduci, quin aliquem habeat adiunctum calorem, & ita dummodo siccitas intensior sit ipso calore, Paralysim posse causare, non primario scilicet desiccando, sed secundario, nempè cõprimendo nulli posse esse dubium cogitamus: & quamuis in febribus ardentibus, & hecticis, in quibus magna viget siccitas, id non experiatur, tamen posse contingere tenemus, si siccitas (sicut carnosas) neruosas similiter apprehendat partes. Hoc enim præter ipsam sensus, & motus priuationem cognoscitur, ex membri particularis Paralytici affecti extenuatione, & macie, nam ipso spirituum animalium trãsitu impedito, pars nõ solum priuatiuè est frigida, hoc est, minus calidi influentis consociata, & confortata, sed positiuè frigida: vndè cum frigi-
di-

ditas condenset, & partes in minus spacium, vel locum veniant, coincidunt partes inter se, ita vt neque alimentum, ex toto corpore attrahere possint; & ita membra Paralysi affecta, veluti atrophia afficiuntur, quæ Synptoma est in actione diminuta facultatis nutritiuæ, cũ ex alia parte calor natiuus semper agat, semperq; resoluat, necessarium est, quod membrum Paralysi affectum magnam contrahat debilitatẽ, & quod extenuetur, ita vt in trinam dimensionem minor fiat, longitudinem scilicet, latitudinem, & profunditatem. Et ita quando Christus hominem sanauit Paralyticum, quem in lecto iacentem, ante ipsum posuerunt, non solum miraculum fuit in sananda Paralysi, ita vt sensus & motus, quibus membra priuabantur, restituerentur, sed in restituendis viribus, per tot annos deperditis, viuificandisque partibus, & corroborãdis, ac si nulla macie, neq; marcore vel atrophia afficerẽtur, & ac si semper optimo sanguine, & spiritu nutrirẽtur, & ornarẽtur. Cõstat hoc, nã statim, ac dixit: *Tibi dico, surge tolle lectum tuum, & vade in domũ tuã. Et consurgens coram illis, tulit in quo iacebat, & abijt in domum suam magnificans Deum.* Ergo quia non solum à Paralysi liber fuit, & à macie, vel membrorũ mar- Cap. 5. Lucæ.

co-

core;seu carnium diminutione, vel consumptione in illo instanti, sed quia carnes restitutæ fuere in trinam dimensionem, sicut deperditæ fuere, & forsan vires excellentiores, ac si nunquam membra Paralysi affecta fuissent, illico acquiescerunt.

CAPVT XXIX.

De Cœcitate.

Gen.c.19. vers.11. DE hoc affectu in sacris Litteris scriptum inuenimus, Genes. 19. *Et ecce misserunt manum viri, & introduxerunt ad se Loth, clauserunt que ostium, & eos qui foris erant percusserunt Cœcitate à minimo vsque ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent.* Aliqui expositores existimant, vt Iosephus, Sancti Ambrosius, Chrisostomus, & Augustinus, nō fuisse veram Cœcitatem, sed allucinationem, ita vt cœtera videntes, ostium tantum Loth, quod quærebāt, videre non potuerunt. Ait enim Sanctus Augustinus, si omnino Cœci fuissent non ostium Loth, sed Duces, qui eos domum reducerent, quæsijssent; id enim potuit fieri, vt tenet Cornelius, vel quod Deus eis aliam speciem obie-

cerit, vt loco ostij viderent (verbi gratia) parietem, id autem fecit, vel immutando spetiē obiecti, vel aerem medium, vel potentiam visuam, vel sensum communem, ad quem omnes sensationes externæ deferuntur, & 4. lib. Reg. cap. 6. *Elisæus orauit ad Dominum dicens: percute obsecro gentem hanc Cæcitate, Percussitque eos Dominus.* 4. lib. Reg. c. 6. vers. 18. Manifestum omnibus est, quod Cœcitas (loquimur de vera Cœcitate) actio est ablata potentiæ visiuæ.

Hæc enim Cœcitas multis potest contingere modis: præcipuè autem, qui repentè Cœci fiunt (sicuti relati) coniecturabile, vel probabile est, quod gutta serena afficiuntur, quia impeditur transitus spirituum visualiū, qui per neruum opticum ad oculum conferuntur. Quod latissimè percurrit Galenus lib. 4. de locis affectis cap. 2. ita dicens: Cum igitur nullo in oculis malo apparente cernendi sensus deperditus est, dimissus à cerebro neruus causam, vel inflāmationem, vel duritiem in se continet, aut ex humorum defluxu, aut aliter quomodolibet meatus ipsius duratur. Et transtulit Auicena fen. 3. lib. 3. tract. 4. cap. 21. Cognoscitur gutta serena, quia oculi quàm optimè clauduntur, & aperiuntur, & nihil in oculo apparet, quod visum

ſum impediat. Vndè colligitur, quod affectus causa eſt interna: cū enim nerui optici ſint manifeſtè caui, vt anothomia oſtentat, colligimus, quod in neruo eſt obſtructio alicuius humoris craſi, & frigidi ad modum alicuius guttæ aquæ neruum opticum obſtruentis. Alij vt ſignum huius affectus ponunt aliquam rugoſitatem, vel matiem in pupilla defectu ſpirituum animalium, qui ſplendentem, & tumefacientem pupillam faciebant. Verumtamen quam plurimos vidi gutta ſerena affectos, & nullatenus talem in pupilla maciem, vel rugoſitatem inueni: cum enim toto oculo non ſit impeditus ſanguinis, & ſpirituum ad nutritionem tranſitus vt quid debet pupilla, vel oculū marceſcere, & veluti tabe affici? Vndè exiſtimo, quod etiam ſi ſit tale ſignum coniecturabile non eſt neceſſarium. Poteſt enim Cœcitas contingere defectu humoris chriſtalini, ipſe vero chriſtalinus humor pars elicitiua eſt ſecundum maiorē Medicorum conſenſum, vbi viſio celebratur, cui ſcilicet actio videndi debetur; poteſt enim chriſtalinus deficere à cauſa aliqua conſumente ipſum, vel opacitatem cauſando à permixtione alicuius humoris nigri, vt eſt attrabiliarius, ita vt amittat ſplendorem, & in capax reddatur ad

receptionem specierum, vt in speculo si perturbetur, contingit. Et similiter potest contingere Cœcitas defectu humoris vitrei, & albuginei, quorum vsus sunt simpliciter necessarij ad visionem: & qui Cœcitate ab aliqua ex dictis causis afficitur, siue à natura, siue à morbo incurabilis est; quia nullũ est remedium, quod eius curationem attingat. Quidquid dicant aliqui garrulatores circa curationem guttæ serenæ, non solum est falsum, & difficile persuasione, verum contra experientiam; & nisi miraculose, nullus ad pristinum reducitur statũ, vt apud Matth. cap. 9. constat. *Cum autem venisset domum accesserunt ad eum Cœci, & dixit Iesus, &c. Tetigit oculos eorum dicens, secundum Fidem vestrã fiat vobis, & aperti sunt oculi eorum.* Erat enim in consuetudine ijs, quos curabat Christus manus imponere, vt refert cap. 8. vel vt Theophilatus interpretatur, quando vt Cœcum tangeret Christus, Iudæi petebant, non satis habebant fidei, quia existimabant, nisi tangendo curare non posse. *Matth. c. 9 vers. 28.*

Circa hunc affectum aliquam permittit dubitandi occasionem locus Deuteron. cap. 28. *Percutiat te Dominus Cœcitate, & palpes in meridie, sicut solet palpare Cœcus in tenebris.* Si enim *Deut. c. 28 ver. 28.*

est

est Cœcus quid habet magis ad palpandũ lux quam tenebræ, nox quam dies? Cœcus ne, qui verè Cœcus est, cernit lucem? Si lucem cernit, quare non colorem? Et si non videt colorem, neque lucẽ, eodem modo palpabat in luce meridiei, quam in tenebris noctis? Expositores huius loci de Cęcitate animi intelligunt verba illa, *vt palpes in meridie*: nam Cęcitas, animi pœna est peccati? Verum quia non tollit quominus Dominus percutiat corpora Cęcitate corporis. Dico, quod dictum de luce, & colore est verum, quantum se tenet ex parte potentiæ visiuæ: nam eodem modo lux obijcitur potentiæ visiuæ, & ipsam immutat ac color. Verumtamen Cęcus diuerso modo palpat in tenebris, ac in meridie: nam tactus aliquam diuersitatem adinuenit in meridie, quam in tenebris. In meridie aër radiis Solis est calfactus, & in tenebris noctis est frigefactus. In meridie aër transpiratur per fenestras & portas (quæ vt in plurimum sunt apertæ) & ventilatur domus, vbi existit Cœcus, taliter vt non indigeat Cęcus palpatione ad sciendum, sit ne fenestra clausa, vel aperta: Ex ingressu enim aëris scit Cœcus fenestram esse apertam. Et ex radijs Solis ipsum calefacientis. Ita igitur ille qui Cęcus palpat in

me-

meridie, sicut in tenebris videtur aliquem affe-ctum contractum habere in potentia tactiua: nam palpat in meridie portis, ac fenestris apertis, sicut noctu, quando clausis. Videtur enim, non liberum, & expertum habere sensum ta-ctus, sed veluti torpidum, & stupidum; tactu enim torpido non fit immutatio, nisi ab excellentissimis tangibilibus, à remissis autem, vel mediocribus non fit sensatio. Aër, & lux, quæ in meridie inueniuntur fere semper (potissimũ veris tempore) remissè & blandè feriunt suis qualitatibus tactum. Vndè ille, qui stupidum, vel dim, vel diminitum habet ab ipso non immutabitur. Vndè quem percuserit Dominus Cęcitatem, vt palpet in meridie, ac palpare solet Cęcus in tenebris, idem est, ac dicere, *percutiat te Deus Cæcitate*, quæ actio abolita, vel ablata est visus, & percutiat te in palpando ita diminutè; vt videaris torpidus, vel stupidus.

Similiter est alius locus Tobiæ cap. 2. vbi legimus. *Contingit autem, vt quadam die fatigatus à sepultura, veniens in domum suam iactasset se iuxta parietem, & obdormisset, & ex nido Sirundinũ dormienti illi calidà stercora inciderunt super oculos eius fieretque Cœcus*. Deinde cap. 11. ita habetur. *Tũc sumens Tobias de felle piscis liniuit oculos patris sui,* *Tob. cap. 2. vers. 11.* *i. cap. 11. vers. 14.*

&c

& sustinuit dimidiam quasi ferè horam, & cœpit albugo ex oculis eius quasi membrana oculi egredi. Ex his locis constat causa & remedium Cœcitatis Tobiæ. Causa Cęcitatis fuit stercus hirundinis; & quamuis sint multi, qui qualitate occulta dicat id contigisse, existimo tamen non esse ad occultas confugere necessarium, quia reperiuntur manifestè. Manifestum est enim omnia stercora animaliũ, plus minusvè secundum vniuscuiusque spetiem, & temperaturam esse potentia calida & sicca, & ex consequenti dictũ stercus calfacere, & desicare potuit oculos Tobiæ. Et quamuis sit etiam verum, quod dormiebat Tobias, & cecidit stercus super oculos, vndè alicui difficile videtur ad causandam Cęcitatẽ primis qualitatibus, sed occultis id contigisse. Est aduertendum stercus illud non solum fuisse calidum potentia sed actu (Textus calida stercora dicit) & ita facilimè potuit actuari in oculo, & imprimere calorem sufficientem, vt causaret fluxionem ita magnam ex viscidis, & crassis succis, vt albuginem, siue vnguem efficeret: A plurimis enim causis externis ad oculos cõfluxus concitatur magnus, etiam si causa non sit valdè potens propter dispositionem, & apparatum corporis. Tum quia oculi dormientiũ, non

non sunt totaliter clausi, vt non possit aliqua res fluxilis cadens super illos ad tunicas, pertingere: & ita existimandum est posse stercus columbinũ, quia potentia calidum, & actu calidũ, & quia intra oculũ deuenire potest, & corpus Tobiæ, vel eius caput fuisse repletum multis crassis, viscidisq; humoribus ipsam albuginẽ cœcitatẽ causantẽ ad modũ mẽbranæ cuiusdã densæ, visionem impedientem concitare.

Similiter Cœcitatis fuisse remedium fel nõ est repugnãdum. Legat, quisquis sit, Galenum, Hippocratem, Auicenam, & Auctores omnes, tam Gentilicos, quam Catholicos, antiquos, & neothericos, & apud omnes videbit, quòd fel, siue bilis habet rationem, hoc est, virtutem detergendi, & mundificandi. Itẽ legat Antidotarium Vbequerij, cũ de colirijs ad oculos agit, cum diuersa, & multiplitia diuersorum Authorum coliria præscribat ad detergendas nubes, tumorositates, vngues, pherigines & alia, quæ supra tunicam corneam condensantur, & visionem impediunt, in fere omnibus præcipuum ingrediẽs est fel. Et cum illius piscis (quisnã enim sit piscis non constat; Vallesius coniecturat in sua sacra Philosophia cap. 42. fuisse Callionymum, de cuius felle Plinius multa admiranda

conſcripſit) fel ſit poſsibile, quòd non ſolũ qualitatem manifeſtam, ſed occultam haberet, ſicuti multa alia medicamenta, quorum vſus eſt in Medicina à tota ſubſtantia, ſiue qualitate occulta operantia; non eſt mirandum, quod per ſpatium fere dimidiæ horæ applicatum denſatum albuginem ſupra oculum liquaret, & ſtergeret. Quo facto ablato illo denſo velamine videret. Et quamuis ſit verum, quod hæc omnia Tobiæ per naturales cauſas euenerunt; Dei tamen permiſſu (cuius ſecreta nos ſcrutari non poſſumus, ſed tantummodo de ipſis admirari, vt ipſum ſemper in omnibus laudare teneamus) contingunt.

In Euangelica Lectione infinitos Cœcos, & ſine nomine curatos à Domino reperimus. Apud Diuum Matthæum cap. 9. Duo Cœci reperiuntur, *qui ſicuti ſunt Ieſum clamantes miſerere noſtri Filij Dauid*: Alij duo Cœci ſunt apud cap. 20. Matthei vbi ait: *Et egredientibus illis ab Hiericho, ſecuta eſt eum turba multa, & ecce duo Cœci ſedentes ſecus viam.* Diuus Marcus cap. 10. hoc in vno Cœco factum refert, qui Barthimæus dicitur, de quo etiã loquitur D. Lucas c. 18. vbi Maldon cũ Theophil. ait unã, & eandẽ eſſe hiſtoriã, quæ à tribus Euangeliſtis narratur.

Matth. c. verſ. 28.

Gui-

Guillel. Ader in suo tract. de Ægrot. & Morb. in Euangelio enarrat. 3. existimat hos Cæcos gutta serena affectos fuisse.

CAPVT XXX.

De Albugine.

DVAS inuenio Albuginem habere significationes: maculam in oculo, vt Plin. lib. 21. & vlcerationem oculorum, vt Galen. in lib. Isagogicis, fol. 48. & 59. In prima namque significatione videtur posse sumi testimonium allatum cap. superiori, ex cap. 11. Tobiæ: *Tunc sumens Tobias de felle piscis liniuit oculos patris sui; & sustinuit dimidiam quasi fore horam, & cœpit Albugo ex oculis eius, quasi membrana oculi egredi.* In prima, vel in secunda significatione videtur similiter posse sumi testimoniũ apud Leuiticum cap. 21. in quo adnumerantur affectiones, quæ impediebāt offerre panes Deo, nec accedere administerium eius, vt scabies impetigo, & oculi Albugo. Nulla enim hic est maior ratio, quare potius Albugo maculam, quã oculorũ exulcerationẽ significet. Et ita in præsenti ad nos agere attinet de Albugine, quatenus macula, & quatenus exulceratio oculi est.

Tob. cap. 11 vers. 14.

Quidquid dicat Valles. c.42. suæ sacræ Philosophiæ, non esse rationi consentaneũ existimo; ipse enim existimat, quod Albugo cicatrix oculi in ipsa externa membrana est. Fiunt enim cicatrices ex vulneribus in externa membrana, quæ cornea est, ita appellata propter duritiem, quã habet ad externas resistendas iniurias, siue talia vulnera à causa scindente, vel vrente fiant, & cũ sacra Pagina cap. 2. Tobiæ narret, quod calida stercora inciderunt super oculos eius, & factus fuit Cœcus, existimat, quòd talia calida stercora suo calore actuali, & potentiali vstionẽ causarunt in oculo, & ex vstione vlcus, & ex vlcere cicatrix, & quãuis sit verũ, quod non implicat (imò est possibile) quod naturaliter id cõtingat; tamen in isto casu existimo, quod nõ est Albugo sumenda pro cicatrice tunicę externæ ab excremento vrente causata, sed pro macula. Hoc enim constat, ex verbis cap. 11. *Tunc sumens Tobias de felle piscis liniuit oculos patris sui, & sabstinuit dimidiã quasi fere horam, & cæpit Albugo ex oculis eius quasi membrana egredi, quam apprehendens Tobias traxit ab oculis eius, statimq; visum recepit.* Si autem Albugo esse cicatrix non posset, ex oculis quasi mẽbrana egredi, neq; Tobias apprehendere, & trahere. Nam cicatrix, vt suo cõstabit capite affectus est partium spermaticarum,

Tob. cap. 11 vers. 15.

vt sunt oculi tunicæ,& nisi ipsæ oculorum mē-branæ,vel tunicæ organum oculi componentes extrahantur, non potest cicatrix extrahi, neque est medicamentum, vt cicatrix semel fà-cta auferatur totaliter, nisi pars scissa, nempè spermatica (quod non est naturaliter posṡibile) regeneretur. Ergo existimandum est, quod albugo, de qua loquitur Tobias, de macula tunicæ corneæ est. Fit enim albugo ex craſsis, & viscidis humoribus, frigidisque, vt illos, quos in cerebro plerumque redundare videmus. Qui quidem cum albi sint, si à causa aliqua externa, vel interna liquante, vel trahente, vt stercus hirundinum nimis calefaciens, liquefiant, nemini erit dubium, nisi quod oculum cooperient, ita vt sua densitate, neque oculus videat, neque tunicę color appareat, ita vt albugo in oculo, vt albumen, hoc est, album oui appareat, ad cuius affectionis medelam medicamenta incidentia, vt est fel, & alia similia, de quibus cap. antecedenti diximus esse necessaria.

Albugo prout exulceratio oculorum est, eā-dem prorsus indicationem curatiuam habet cum cęteris exulcerationibus, & vnitatis solutionibus corporis, vt Galen lib. 3 & 4. Metho di, quarum differentiæ sunt quamplurimæ, si-

cut Paulus,& Auicena docent;quæ quidem desumuntur ex differentijs Synthomatum, quæ inueniuntur,vt est dolor,pus,lachrymæ, inflāmatio,rubor,& alia huiusmodi,quæ in affectibus oculorum quotidie experimur.

CAPVT XXXI.

De Lippitudine.

IDEM significat Lippus Latino sermone, quod Hispano, *çegaxoso.* Illos etenim ita appellamus,qui (si non cæci, habent oculos aliqua intemperie affectos fluxione, nubibus,vel suffusionibus) quas Hispano sermone, *cataratas* appellamus. Videtur igitur,quod Gen. 29.cap.ex duabus filiabus Laban,maior vocabatur *Lia*,& dicit sacra Pagina, *quod Lippis erat oculis*,id est,erant teneri,& debiles, & infirmi, vt vertunt septuaginta,& cap.21. Leuitici inter affectiones impedientes accedēdi ad altare Lippitudo adnumeratur. Debemus igitur nos de Lippitudine, quatenus oculorum affectio est, agere.

Gen.c.29. ver.17.

Lippus vocatur communiter, qui debilitatem,molitiem, & teneritudinem patitur, qua fit,

fit, vt nō posſint diu in rem aliquam defigi, ſed volubiles ſunt, proni que in lachrymas; ita vt pupillæ in ſuis orbibus, quaſi innatare videantur. Hoc autem patitur, qui aliquam in oculis habet intemperiem, quæ ſi eſt calida tunicarum pori nimis aperti, nimis rarefacti ſunt, vndè ſpiritus viſorij maximopere conſumuntur, & viſus organum debilitatur pro ſpirituum defectu. Huius cauſa non poſſunt intenſam lucem aſpicere, nam excellens eſt ſenſibile, & corrumpit ſenſum; quia lux ſuo calore eminenti rarefactionem adauget, vndè tales Lippitudinoſi sūt. ſi frigida ſit intemperies contraria contingunt; tunicæ enim nimis denſæ ſunt, non ad viſionem exeit ſufficiens ſpirituum copia (neceſſaria eſt ab oculo extramiſsio, vt fiat viſio) opaci, congregati, & denſi intra oculum exiſtunt ſpiritus, vndè diminuta, tarda, & ad vicina tantummodo ſe extendens viſio eſt. Si humida ſit intemperies lachrymoſi valdè exiſtunt oculi, ponderoſi, & excrementis pleni, quæ omnia ſimiliter Lippum hominem reddunt. Si intemperie ſicca oculi laborent, veluti convulſi oculorū muſculi exiſtunt, & motus naturalis ipſorū ad percalenda vbicumque ſint obiecta defectu humiditatis neceſſariæ eſt quaſi impeditus, & Lippitudinoſi ſimiliter ſunt.

Lippitudo ſimiliter fit ab humorũ ad oculos fluxione, quia ipſa fluxione oculi nimis grauati ſunt, ita vt nõ poſsit homo pro ipſorũ ſarcina oculos mouere, & aperire, & ſecundum humoris naturam ſunt accidentia, ita vt calidus, vt bilis cauſet accidentia intemperiei calidę correſpondentia, & ſic de cæteris humoribus.

Si oculus ſuffuſionibus afficiatur ſimiliter Lippus appellari poteſt; nam ſuffuſio (vt proprio capite conſtabit) nihil aliud eſt, quam impedimentum quoddam ex humore craſſo in foramine vbeæ, qui quidem humor eſt in cauſa, vt ſpecies ex obiecto non poſsit peruenire ad partem viſionis elicitiuam, quæ humor chriſtalinus eſt. Quæ quidem affectio morbus eſt in cõformatione cauitatis, quia redditur cauitas, nõ ſolum anguſtior, ſed impedita. Aliquando cõtingit, quod totum vbeæ foramen ſit impeditum, & tunc eſt actio ablata; non enim ille appellari poteſt Lippus. Aliquando foraminis, pars eſt impedita, ita vt in ſiniſtra, vel dextra, vel ſuperior, vel inferior, vel medium foraminis, vel diuerſæ partes, ita vt humor in vbea ad modum cibri videatur, quod quidem ex diuerſo ſitu, vel poſitione humoris obſtruentis contingit, & tunc Synthoma in actione diminuta appa-

apparet:nam ſolum pars obiecti,& nō directè, ſed tranſverſaliter,vel indirectè videtur, tumq; homo Lippitudinoſus vocatur. Multoties extra oculum apparēt aliquæ imagines ad modū araneæ,muſcæ,formicæ,& aliarum huiuſmodi, quando ſcilicet ſuffuſio non eſt facta, ſed fiens; quia humor ad vbeam perueniens, non habet corporaturam,vel craſitiem neceſſariam, vt ad hæreat ;vbeæ ſed pro ſua tenuitate, huc & illuc per vbeam mouetur, & ſpiritus animales illic deuenientes ipſum ad extra pellunt humorem, ita vt obiecti rationem attingat.

Similiter poſſunt vocari Lippitudinoſi, qui ſtraboſitate afficiuntur. Strabiſmus etenim retractio muſculorum in angulis oculorum exiſtentium verſus ſuam originem eſt; & ita qui ſtrabiſmo afficiuntur, non poſſunt oculum liberè per omnes partes mouere; quia angulorū muſculi veluti alligati ſunt, & ita obiecta verſus ad latus dexterum, vel ſiniſtrum apparent; vbi ſcilicet ſtraboſitas exiſtit.

(S)

CA-

& sustinuit dimidiam quasi ferè horam, & cœpit albugo ex oculis eius quasi membrana oculi egredi. Ex his locis constat causa & remedium Cœcitatis Tobiæ. Causa Cęcitatis fuit stercus hirundinis; & quamuis sint multi, qui qualitate occulta dicat id contigisse, existimo tamen non esse ad occultas confugere necessarium, quia reperiuntur manifestè. Manifestum est enim omnia stercora animaliũ, plus minusvè secundum vniuscuiusque spetiem, & temperaturam esse potentia calida & sicca, & ex consequenti dictũ stercus calfacere, & desicare potuit oculos Tobiæ. Et quamuis sit etiam verum, quod dormiebat Tobias, & cecidit stercus super oculos, vndè alicui difficile videtur ad causandam Cęcitatẽ primis qualitatibus, sed occultis id contigisse. Est aduertendum stercus illud non solum fuisse calidum potentia sed actu (Textus calida stercora dicit) & ita facilimè potuit actuari in oculo, & imprimere calorem sufficientem, vt causaret fluxionem ita magnam ex viscidis, & crassis succis, vt albuginem, siue vnguem efficeret. A plurimis enim causis externis ad oculos cõfluxus concitatur magnus, etiam si causa non sit valdè potens propter dispositionem, & apparatum corporis. Tum quia oculi dormientiũ,

non

non sunt totaliter clausi, vt non posit aliqua res fluxilis cadens super illos ad tunicas, pertingere: & ita existimandum est posse stercus columbinũ, quia potentia calidum,& actu calidũ,& quia intra oculũ deuenire potest,& corpus Tobiæ, vel eius caput fuisse repletum multis crassis, viscidisq; humoribus ipsam albuginẽ cœcitatẽ causantẽ ad modũ mẽbranæ cuiusdã densæ, visionem impedientem concitare.

Similiter Cœcitatis fuisse remedium fel nõ est repugnãdum. Legat, quisquis sit, Galenum, Hippocratem, Auicenam,& Auctores omnes, tam Gentilicos, quam Catholicos, antiquos, & neothericos, & apud omnes videbit, quòd fel, siue bilis habet rationem, hoc est, virtutem detergendi,& mundificandi. Itẽ legat Antidotarium Vbequerij, cũ de colirijs ad oculos agit, cum diuersa,& multiplitia diuersorum Authorum coliria præscribat ad detergendas nubes, tumorositates, vngues, pherigines & alia, quæ supra tunicam corneam condensantur, & visionem impediunt, in fere omnibus præcipuum ingrediẽs est fel. Et cum illius piscis (quisnã enim sit piscis non constat; Vallesius coniecturat in sua sacra Philosophia cap. 42. fuisse Callionymum, de cuius felle Plinius multa admiranda

conſcripſit) ſed ſit poſsibile, quòd non ſolũ qualitatem manifeſtam, ſed occultam haberet, ſicuti multa alia medicamenta, quorum vſus eſt in Medicina à tota ſubſtantia, ſiue qualitate occulta operantia; non eſt mirandum, quod per ſpatium fere dimidiæ horæ applicatum denſatum albuginem ſupra oculum liquaret, & ſtergeret. Quo facto ablato illo denſo velamine videret. Et quamuis ſit verum, quod hæc omnia Tobiæ per naturales cauſas euenerunt; Dei tamen permiſſu (cuius ſecreta nos ſcrutari non poſſumus, ſed tantummodo de ipſis admirari, vt ipſum ſemper in omnibus laudare teneamus), contingunt.

In Euangelica Lectione infinitos Cœcos, & ſine nomine curatos à Domino reperimus. Apud Diuum Matthæum cap. 9. Duo Cœci reperiuntur, *qui ſicuti ſunt Ieſum clamantes miſerere, rere noſtri Filij Dauid*: Alij duo Cœci ſunt apud cap. 20. Matthei vbi ait: *Et egredientibus illis ab Hierichò, ſecuta eſt eum turba multa, & ecce duo Cœci ſedentes ſecus viam.* Diuus Marcus cap. 10. hoc in vno Cœco factum refert, qui Barthimæus dicitur, de quo etiã loquitur D. Lucas c. 18. vbi Maldon cũ Theophil. ait unã, & eandẽ eſſe hiſtoriã, quæ à tribus Euangeliſtis narratur.

Matth. c. verſ. 28.

Gui-

Guillel. Ader in suo tract. de Ægrot. & Morb. in Euangelio enarrat. 3. existimat hos Cæcos gutta serena affectos fuisse.

CAPVT XXX.

De Albugine.

DVAS inuenio Albuginem habere significationes: maculam in oculo, vt Plin. lib. 21. & vlcerationem oculorum, vt Galen. in lib. Isagogicis, fol. 48. & 59. In prima namque significatione videtur posse sumi testimonium allatum cap. superiori, ex cap. 11. Tobiæ: *Tunc sumens Tobias de felle piscis liniuit oculos patris sui; & sustinuit dimidiam quasi fore horam, & cæpit Albugo ex oculis eius, quasi membrana oculi egredi.* In prima, vel in secunda significatione videtur similiter posse sumi testimoniũ apud Leuiticum cap. 21. in quo adnumerantur affectiones, quæ impediebãt offerre panes Deo, nec accedere administerium eius, vt scabies impetigo, & oculi Albugo. Nulla enim hic est maior ratio, quare potius Albugo maculam, quã oculorũ exulcerationẽ significet. Et ita in præsenti ad nos agere attinet de Albugine, quatenus macula, & quatenus exulceratio oculi est. *Tob. cap. 11 vers. 14.*

Quidquid dicat Vallesf. c.42. suæ sacræ Philosophiæ, non esse rationi consentaneũ existimo; ipse enim existimat, quod Albugo cicatrix oculi in ipsa externa membrana est. Fiunt enim cicatrices ex vulneribus in externa membrana, quæ cornea est, ita appellata propter duritiem, quã habet ad externas resistendas iniurias, siue talia vulnera à causa scindente, vel vrente fiant, & cũ sacra Pagina cap. 2. Tobiæ narret, quod calida stercora inciderunt super oculos eius, & factus fuit Cœcus, existimat, quòd talia calida stercora suo calore actuali, & potentiali vstionẽ causarunt in oculo, & ex vstione vlcus, & ex vlcere cicatrix, & quãuis sit verũ, quod non implicat (imò est possibile) quod naturaliter id cõtingat; tamen in isto casu existimo, quod nõ est Albugo sumenda pro cicatrice tunicę externæ ab excremento vrente causata, sed pro macula. Hoc enim constat, ex verbis cap. 11. *Tunc sumens Tobias de felle piscis liniuit oculos patris sui, & substinuit dimidiã quasi fere horam, & cæpit Albugo ex oculis eius quasi membrana egredi, quam apprehendens Tobias traxit ab oculis eius, statimq; visum recepit.* Si autem Albugo esse cicatrix non posset, ex oculis quasi mẽbrana egredi, neq; Tobias apprehendere, & trahere. Nam cicatrix, vt suo cõstabit capite affectus est partium spermaticarum,

Tob. cap. 11 vers. 15.

vt sunt oculi tunicæ, & nisi ipsæ oculorum mẽbranæ, vel tunicæ organum oculi componentes extrahantur, non potest cicatrix extrahi, neque est medicamentum, vt cicatrix semel facta auferatur totaliter, nisi pars scissa, nempe spermatica (quod non est naturaliter posibile) regeneretur. Ergo existimandum est, quod albugo, de qua loquitur Tobias, de macula tunicæ corneæ est. Fit enim albugo ex crassis, & viscidis humoribus, frigidisque, vt illos, quos in cerebro plerumque redundare videmus. Qui quidem cum albi sint, si à causa aliqua externa, vel interna liquante, vel trahente, vt stercus hirundinum nimis calefaciens, liquefiant, nemini erit dubium, nisi quod oculum cooperient, ita vt sua densitate, neque oculus videat, neque tunicę color appareat, ita vt albugo in oculo, vt albumen, hoc est, album oui appareat, ad cuius affectionis medelam medicamenta incidentia, vt est fel, & alia similia, de quibus cap. antecedenti diximus esse necessaria.

Albugo prout exulceratio oculorum est, eãdem prorsus indicationem curatiuam habet cum cęteris exulcerationibus, & vnitatis solutionibus corporis, vt Galen lib. 3. & 4. Methodi, quarum differentiæ sunt quamplurimæ, sicut

fit, vt nō poſsint diu in rem aliquam defigi, ſed volubiles ſunt, proni que in lachrymas; ita vt pupillæ in ſuis orbibus, quaſi innatare videantur. Hoc autem patitur, qui aliquam in oculis habet intemperiem, quæ ſi eſt calida tunicarum pori nimis aperti, nimis rarefacti ſunt, vndè ſpiritus viſorij maximopere conſumuntur, & viſus organum debilitatur pro ſpirituum defectu. Huius cauſa non poſſunt intenſam lucem aſpicere, nam excellens eſt ſenſibile, & corrumpit ſenſum; quia lux ſuo calore eminenti rarefactionem adauget, vndè tales Lippitudinoſi sūt ſi frigida ſit intemperies contraria contingunt; tunicæ enim nimis denſæ ſunt, non ad viſionem exeit ſufficiens ſpirituum copia (neceſſaria eſt ab oculo extramiſsio, vt fiat viſio) opaci, congregati, & denſi intra oculum exiſtunt ſpiritus, vndè diminuta, tarda, & ad vicina tantummodo ſe extendens viſio eſt. Si humida ſit intemperies lachrymoſi valdè exiſtunt oculi, ponderoſi, & excrementis pleni, quæ omnia ſimiliter Lippum hominem reddunt. Si intemperie ſicca oculi laborent, veluti convulſi oculorū muſculi exiſtunt, & motus naturalis ipſorū ad percalenda vbicumque ſint obiecta defectu humiditatis neceſſariæ eſt quaſi impeditus, & Lippitudinoſi ſimiliter ſunt.

Lippitudo ſimiliter fit ab humorũ ad oculos fluxione, quia ipſa fluxione oculi nimis grauati ſunt, ita vt nõ poſsit homo pro ipſorũ ſarcina oculos mouere, & aperire, & ſecundum humoris naturam ſunt accidentia, ita vt calidus, vt bilis cauſet accidentia intemperiei calidę correſpondentia, & ſic de cæteris humoribus.

Si oculus ſuffuſionibus afficiatur ſimiliter Lippus appellari poteſt; nam ſuffuſio (vt proprio capite conſtabit) nihil aliud eſt, quam impedimentum quoddam ex humore craſſo in foramine vbeæ, qui quidem humor eſt in cauſa, vt ſpecies ex obiecto non poſsit peruenire ad partem viſionis elicitiuam, quæ humor chriſtalinus eſt. Quæ quidem affectio morbus eſt in cõformatione cauitatis, quia redditur cauitas, nõ ſolum anguſtior, ſed impedita. Aliquando cõtingit, quod totum vbeæ foramen ſit impeditum, & tunc eſt actio ablata; non enim ille appellari poteſt Lippus. Aliquando foraminis, pars eſt impedita, ita vt in ſiniſtra, vel dextra, vel ſuperior, vel inferior, vel medium foraminis, vel diuerſæ partes, ita vt humor in vbea ad modum cibri videatur, quod quidem ex diuerſo ſitu, vel poſitione humoris obſtruentis contingit, & tunc Synthoma in actione diminuta

appa-

apparet: nam ſolum pars obiecti, & nõ directè, ſed tranſverſaliter, vel indirectè videtur, tumq; homo Lippitudinoſus vocatur. Multoties extra oculum apparẽt aliquæ imagines ad modũ araneæ, muſcæ, formicæ, & aliarum huiuſmodi, quando ſcilicet ſuffuſio non eſt facta, ſed fiens; quia humor ad vbeam perueniens, non habet corporaturam, vel craſitiem neceſſariam, vt adhæreat vbeæ, ſed pro ſua tenuitate, huc & illuc per vbeam mouetur, & ſpiritus animales illic deuenientes ipſum ad extra pellunt humorem, ita vt obiecti rationem attingat.

Similiter poſſunt vocari Lippitudinoſi, qui ſtraboſitate afficiuntur. Strabiſmus etenim retractio muſculorum in angulis oculorum exiſtentium verſus ſuam originem eſt; & ita qui ſtrabiſmo afficiuntur, non poſſunt oculum liberè per omnes partes mouere; quia angulorũ muſculi veluti alligati ſunt, & ita obiecta verſus ad latus dexterum, vel ſiniſtrum apparent, vbi ſcilicet ſtraboſitas exiſtit.

(S)

CA-

CAPVT XXXII.

De Oculis Attonitis.

ATTONITVS morbus est ille, quo aliquod temporis spatium corpus totũ, tam vehementer est arreptum, vt neque sentiat, neque moueatur, vt est videre apud Galenum 1. Meth. medendi. Vndè si brachium, vel crus afficiatur tali morbo veraciter dicemus Attonitum esse brachium, vel crus. Sic igitur cum oculi constent musculis ad omnes motus, si nullatenus moueantur, sed immobiles reddantur, apertique immobiliter sint, nulli dubium erit, nisi quod Attonito morbo afficiuntur. Vndè Iob cap. 15. hæc ait. *Quid te eleuat cor tuum, & quasi magna cogitans Attonitos habes oculos?* Eliphaz (dicit Lyra) notat ipsum Iob, qui talia signa exteriora ex superbia faceret, & sic oculi corporales remanent quasi tumefacti, & Attoniti. Et Prouerb. cap. 16. legimus: *Qui Attonitis oculis cogitat praua, mordens labia sua perficit malum.* Lyra dicit esse duo signa hominis cogitantis mala, vnum est, quod habeat occulos Attonitos, ex intensa cogitatione

Iob cap. 15 vers. 12.

Prob. 16. c. vers. 30.

ne ad malum, & sic obscuratur visus exterior, quia motus maiores expellant minores secundum Philosophum. Alterum est, quod labia sua mordeat, ex intentione perficiendi malum, mouet dentes ad talem actum. Verum quid sit, & in quo consistat talis oculorum affectio nũc est declarandum.

Convulsio retractio est musculorum versus suam originem: origo autem est cerebrum, ex quo omnes nerui, qui ad sensum & motum, per musculos desiminantur, oriuntur: ita quando musculus aliquis convellitur, vel totum corpus versus cerebrum fit motus, & quædam retractio est. Inter species convulsionis adnumeratur Thetanus, qui quidem tentio, vel extensio est partis affectæ immobilis redditæ. Quando igitur Attoniti sunt oculi musculi deseruientes ad motum tonicum thetano, qui species est cõvulsionis, afficiũtur. Vnde est, vt palpebræ neq; oculus sursum, vel deorsũ dextrorsum, nec sinistrorsum, neq; circulariter, in gyrum inquã possunt moueri. Causa huius affectus aliquando est ebrietas; nam ex nimijs vaporibus vini nerui optici, & musculi maximopere replẽtur & immobiles redduntur propter ingentem repletionẽ. Sicuti quãdo ab animi aliqua passio-

ne

ne propter vehementem imaginationis actum (vt in raptu, & extasi contingit) spiritus omnes vitales, veluti rapti ad caput mouentur, ipsumque cum replent, causant convulsionem quandam in oculis, ita vt Attoniti reddantur vsquequo imaginationis actus sit consumatus, & ad cæteras partes, ex quibus deuenti erant spiritus pellantur, & consumuntur. Verumtamen talis affectio ex causa frigidissima prouenit, quę sua vehementi frigiditate, immobiles reddit oculorum musculos, vel alterius corporis partis. Attamen existimo, quod oculorum Attonitio in sacra Pagina relata non est de causa infrigidante, de qua agunt Medici, sed de spirituum repletione; quæ in magnis imaginationis actibus, vel in casu magnæ admirationis contingit & ita cessat affectus, cessanti vehemente imaginatione, in qua anima est attenta ad aliquod vehemens obiectum, ratione cuius distrahitur ab alijs operibus, & sensationibus. Vnde cõstat hominem inter cætera animalia, qui admiratiuum animal est, magis subiectum esse huic affectionu. Iam video Medicum angientem circa naturam huius affectionis. Quia cum dixerim, quod Attonitio est quædam convulsio, & convulsio retractio, & retractio sit motus,

videtur oculorum Attonitionem, non esse convulsionem; quia in Attonitis oculis nullus est motus,

Respõdetur, quod in Attonitis oculis est motus ad modũ illarũ avium, quæ in aëre extensis alis veluti immobiles apparent, retinente facultate motiua, ita extensas alas. Et sicuti, quando brachium eleuamus sursum, & per aliquod tẽpus quietum, & eleuatum detinemus, est certũ fieri hoc naturaliter media facultate motiua: illud enim quod in Attonitis oculis reperitur, à causa prouenit præter naturam mouente ipsos musculos, ita vt in vltimo termino ipsius motu maneat, & Attoniti fiat oculi. Nõ enim Attonitio fieret, nisi prius oculi ad adquirendam illã figuram medijs musculis moueantur. Et quãuis Attonitio nõ consistat in illo motu præcedente, sed in quiete, quæ in termino ad quẽ motus fit, est aduertẽdũ, quod illa quies nõ est cessatio actionis, vel motus, sed terminus motus, pars in quã vltima motus. Sicuti quietes, quæ reperiuntur in motu, pulsu, & respiratione inter dilatationẽ, & cõpressionẽ, quæ etiã si quietes arteriarũ videantur sunt partes intrinsecæ, & essentiales pulsus, qui motus est ex dilatatione, & compressione compositus est, & sic quietes intrin-

secæ

ſecæ mutationes ſunt, & intra terminos dilatationis, & compreſsionis reperiuntur. Attonitio etenim, terminus illius motus localis, qui procedit à cauſa, præternaturam eſt.

CAPVT XXXIII.

De Faſcinatione.

QVAMPLVRIMI ſunt viri docti, qui dari faſcinationem affirmant, ad quod probandum vtuntur authoritatibus, obſeruationibus, & rationibus. Ex authoritatibus primum locum tenet teſtimonium cap. 4. Sap. in quo ita habetur. *Faſcinatio enim nugacitatis obſcurat bona.* Hic Lyra dicit, quod propriè faſcinatio illuſio ſenſuum eſt, & quod nomen faſcinatio tractum eſt ad ſignificandam deceptionem. In eadem ſimiliter ſignificatione eſt cap. 3. Pauli ad Galatas, in quo ita prædicat? *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit non obedire veritati*; Et illa verba Eccleſiaſtici 31. *Ne quis oculo quod creatum eſt.* Exiſtimant aliqui de faſcinatione vera locutum fuiſſe. Apertè ex his locis conſtat dari faſcinationem, ſi ſacram Paginam ſemper, vt Catholici teneamus: non enim ſacræ Litteræ vterentur hac locutione faſ-

Sap. cap. 4. verſ. 12.

Paulus ad Gal. cap. 3. verſ. 1.

Eccleſ. cap 31. ver. 15.

fascinandi, si realiter & verè non esset talis affe-
ctio.

Plinius lib. 7. cap. 2. inquit in Africa esse familiam quandam effascinantiũ; & lib. 26. cap. 10. inquit. Altera Satyrion Orchis cognominata fœmina esse creditur, distinguitur internodijs, & ramosiore frutice fascinis vtili. Idem commendat lib. 28. cap. 4. repercuti fascinationes despuicione. Et idem commendat lib. 13. cap. 4. contra fascinationes ossicula quædã palmarum Lunata. At idem corium frontis hienæ fascinationibus resistere affirmat lib. 28. ca. 8. Aristoteles quoque sect. 20. Problematum dicit rutham antidotum esse fascinationũ. Ad hoc intentum est illud celeberrimum Virgilij carmen. *Quis teneros oculus mihi fascinat agnos?* Tum fascinationis opinio, neque vulgaris est, neque noua, siquidem antiquissimi, & probatissimi Authores ipsam habuerunt, & multa ad fascinatos præscripsere remedia: si enim nulla esset realiter, & verè fascinatio frustraneũ prorsus esset eius remedia narrare. Tum quia nomina sunt significatiua rerum, & supposito quod reperitur nomen fascinationis, signum est reperiri talem significandi affectionem in rebus creatis.

Ex

Ex quamplurimis similiter obseruationibus fascinationem dari constat. Fascinari teneros puerulos, vt in plurimum quotidie experimur. Similiter formosæ, & pulcherrimæ, arescunt arbores, & moriuntur infantes, & mulieres potius quàm viri, quia vt in plurimum pulchriores, ideoque effascinātur. Hoc enim experimento omnibus est compertum.

Ratione similiter dari fascinationem constat. Quia dari morbos per sympathiam omnibus est notum: nulla enim est implicatio, vt corpus aliquod mittat aliquid in aliud ex quo malè afficiatur. Ergo ex parte huius rationis genericæ, vel communis non implicabit fascinatio. Secundo, quia fascinatio, nihil aliud est, quam malignitas quædā in oculis, qua si pulchrum aliquod, tenerum, vel debile inspiciatur repentè, & multū lædatur. Sed sic est, quod nulla est implicatio, quod in oculis aliquid malignum reperiatur. Ergo neque vt communicetur; & ex consequenti, quod corpus in quo recipitur malignanter effascinetur? Quod in oculis quid malignum posṡit reperiri constat. Quia sicuti cęteræ partes principes, & non principes propter particularem dispositionē possunt recipere prauos humores malig-

nanter putrefactos, vel proprium nutrimentū partis, propter temperamenti auersionem malignanter putrefieri; & corrumpi (vndè Medicorum communis est consensus venena in corporibus viuentibus posse generari) dicendū est posse oculum maligna substantia affectum inspectam rem viuentem fascinare. Quod ex oculis posſit malignum sanis corporibus communicari constat. Quia visio non solum fit per intramisſionem, hoc est mittendo obiectum suas speties in oculi pupillam, sed per extramisſionem, hoc est mittendo potentia spiritus visorios per aërem vsque ad obiectum, vt Valles. lib. 2. controuer. Medicar. cap. 29. Vndè non solum color, sed magnitudo & distantia percipitur. Ergo si spiritus illi animales (visorij vocati, quia ad visionem deseruiunt) malignanter afficerentur, nulla erit implicatio, quod inspectam rem subitò, & repentè effascinent. Dixi subitò, & repentè non solum propter nullā, vel paruam resistentiam pasſiuam, quæ in rebus effascinatis propter suam humidam temperiem, teneritudinem, & mollitiem ad repercutiendam malam illam qualitatem malignæ substantiæ emissæ tangentis rem Fascinantem reperitur, sed propter resistentiæ actiuæ

defectum in rebus Fascinatis. Maligna enim qualitas in spiritibus existens est operans à tota substantia, hoc est, non solum calore excedente & frigiditate, & sic de cæteris primis qualitatibus; sed omnibus primis qualitatibus pro putredine dispositis, vt nulla per se, neque simul sumptis malignitati resistant: vnde venena, & febres veneficæ, siue malignæ oriuntur. Quod spiritus capax sit talis malignæ qualitatis, constat communi illa Aristotelis doctrina in Metheoris, omnia præter ignem putrefieri, & ex Hippocrat. sect. 4. aphor. 55. in quo febres omnes ex bubone esse malas præter diarias docet. Quam sententiam, omnes Medici libenter amplectuntur, intelligendam esse de illis, quæ etiam si dependentiam ex bubonibus habent, & in facto esse calor est in spiritibus, tamen malignanter sunt putrefacti. Similiter ratione constat, quia spiritus, tam animales, quam vitales, etiam si tenuissimæ sint substantiæ eorum quæ in corpore continentur, cum mixtæ substantiæ sint (in quibus partes correspondentes quatuor elementis, sicut in cæteris mixtis reperiuntur) capaces sunt corruptionis, & malignæ qualitatis (siue maligna qualitas ex inte-

ſa putrefactione oriatur, ſiue in medo putrefactionis conſiſtat.) Ergo ſi talis ſpiritus viſorius maligna qualitate affectus obiectũ pertingat, nulli erit dubium, quod ſubito effectum producet, ita vt corpus effaſcinatũ morbo laboret indicibili, vt niſi antidotis proprijs corrigatur viuens pereat.

His non obſtantibus noſtra ſit cõcluſio. Nullo modo realiter, & verè datur faſcinatio. Probatur primò, quia ſi daretur, & affectio eſſet antiquiſsima, vt ſacra Pagina videtur narrare aliquis ex Principibus Medicinæ antiquiſsimis ipſam in genere, vel ſpetie adnumeraret. Cũ ergo neque Hippocrates, neque Galenus, Auicena, neque aliquis alius, tam ex Græcis, Arabibus, vel Latinis ipſam nominet Faſcinationem, exiſtimandum eſt non dari talem affectionem, ſed tantummodo eſſe quid nugoſum, vel fabuloſum. Secundo conſtat ratione; quia ſuppono naturam, & diffinitionem Faſcinationis traditam, vel quã quilibet cogitare velit: in tali actu Faſcinandi reperiuntur duo. Primũ eſt, imaginationis actus in rẽ à ſenſibus perpenſam, vt voluntas (inuidia anima affecta, vel alia cauſa) cõſurgat, vel actu iræ, vel inuidiæ in rẽ Faſcinãdã. Secũdũ eſt tranſmiſsio ſpirituũ malè affectorũ,

vel vaporũ, vel alterius ſubſtãtiæ, quã aſsignare volueris, vt contactu phyſico, & reali rẽ effaſcinent. Sed ſic eſt, quod tã ex parte primi, quã ſecundi non poteſt fieri Faſcinatio. Ergo fictitiũ, & fabulosũ eſt Faſcinationẽ dari. Probatur minor. In primis imaginationis vis in rẽ à ſenſibus apprehensã nullius eſt actiuitatis, vt in rẽ obiectã effectũ aliquã inueniamus realẽ. Primò, quia faſcinaret, quẽ, & quando vellet, quod nullus obſeruauit, neque dixit. Ergo quia volũtas nullum habet imperiũ in rẽ Faſcinandã. Secundò, quia imaginatio potentia quædã eſt media, qua anima operatur, & quamuis in corporibus ex vehementia imaginationis plurimos videamus effectus: aduertendũ eſt, quod tales non fiũt in externis ſubiectis, ſed in animali cuius eſt imaginationis actus, & neq; fiũt per ſe primò, ſed ſecundario, & multoties per accidens ex particulari diſpoſitione ſanguinis, & ſpirituũ, vt in animi paſsionibus verificamus. Ergò, quia ad faſcinãdũ imaginatio nullã habet vim. Quod ſpiritus per oculos trãmiſsi (etiãſi obiectũ pertingãt) nõ poſsint effaſcinare, probatur; quia qui oculos effaſcinatarios haberet, quãcũq; rẽ quã videret tenerã, vel pulchrã, afficeret, quod nullus dixit; quia ſpiritus ille effaſcinãs agẽs quoddã eſſet

set naturale, quod debite applicatũ obiectis dũ modo ipsa percalaret obiecta, ipsa effascinaret. Tum quia quando spiritus ad obiectum accedunt (si accedunt) iam resoluti & sparsi, minimè inter se vniti deueniunt. Ergo nullum poterant in rem obiectam effectum realem maleficum producere.

Nisi fortè dicas, quod benè verum est, quod imaginatio per se sola nullum est potens producere effectum, neque spiritus per se tantummodo sunt sufficientes ad effascinationem causandam, neque in quamcumque rem imprimitur Fascinatio, sed quando animo anima inuidia, vel vindicta affecta spiritus transmittit visorios quadam secunda qualitate ab anima impressa tali conditione, vt in rem iuvenem pulchram, & teneram effascinans inspiciatur.

Contra suppono, quod totum hoc dictum simul concurrat ad Effascinationem, adhuc nõ dabitur Effascinatio; quia talis qualitas in spiritibus existens, vel est ipsis naturalis, vel præternaturalis. Non est naturalis, quia est corruptiua formæ spiritus. Ergo est præternaturalis. Ergo est violenta. Ergo prouenit à principio externo. Sed nullum est assignabile principium, nisi ipsa anima, quæ affecta ex vehementi imagina-

tione ipſam qualitatem ſpiritibus viſualibus (per putredinem, vel aliam alterationem) diſpoſitis imprimit. Ergo talis qualitas, vt producat effectum debet pendere à ſuo principio ſcilicet ab anima in eſſe fieri, & conſeruari? Sed ſic eſt, quod etiam ſi ineſſe, & fieri dependeat ſemel tranſmiſſo ſpiritu viſorio extra corpus nō poteſt pendere in conſeruari. Ergo ſicuti producta fuit in inſtanti ob contrarij defectum debet corrumpi (quantum ex ſe tenet) in inſtanti ob conſeruantis defectum? Et ſuppono, quod non extinguatur in inſtanti, ſed paulatim ad modum impulſus, qui deficit paulatim, & non durat in re impulſa, niſi ſecundum virtutem impellentis. Ergo ad minus eſt concedendū, quod caſu poſito, quod fiat effaſcinatio in re effaſcinata, nihil amplius durabit præter durationem illius qualitatis, vel virtutis ab ipſa anima ſpiritibus communicatæ? Ergo ſicuti, quando lapidem proijcio pauco durat tempore in lapide impulſus, & extinguitur paulatim, & à pondere, & grauitate propria lapidis vincitur vſquequo lapis in terrę ſuperficie quieſcat ſemel emiſſo ſpiritu per oculos ob animæ influxus remotionem neceſſario effectus productus debet ad extinctionem qualitatis extingui?

Niſi

Nisi dicas, quod id contingit in rem spectã, quæ non habet dispositiones ad effascinationem: in illa vero quæ est disposita secundum intensionem, vel remissionem, plus minusvè durabit, ita vt rem inspectam multoties interimat.

Contra. Sequitur ergo ex hoc, quod quæcumque qualitas secundum subiecti dispositionem ad ipsius introductionem violenter ipsum afficiens, etiam si corrupta, vel separata sit causa conseruans debet durare secundum illam dispositionem ad qualitatis introductionem præviam, siue antecedentem? Hoc est falsum. Ergo & illud ex quo sequitur? Probatur, & vtor illo axiomate Aristotelico, nempè, quod nullũ violentum est perpetuum: quod quidem est verissimum; & esset falsum: nam si subiectum esse summè dispositum ad talem formam accidẽtalem violentam recipiendam, idem esset ac ad ipsius propriam corruptionem, & ita illico ac est introducta qualitas subiectum est corruptum; si non est summè dispositum subiectum, cum talis qualitas sit corruptiua, repellitur statim à subiecto illico, ac separatur causa conseruans. Ergo etiam si sit subiectum pulcherrimum, vel infantulum, & cum omnibus condi-

tionibus necessarijs, quas volunt Auctores cōtrariæ opinionis (vulgi ignari sequaces) reperiantur ad Fascinationem defectu concursus ipsius animæ in spiritus visorios semel extramissos ad obiectum, etiam si per putredinem dispositos ad talem qualitatem recipiendam, & ipsi sint capaces contactus cum obiecto non possunt cōfluere in effectum, ita vt vera Effascinatio resultet.

Ad contrariorum allegata respondeo. Et primo ad testimonia sacra, ex quibus non colligitur Fascinationem aliquam naturalem dari, sed quasi proverbio, quod ex vulgi opinione natum est dicitur. *Quis vos Fascinauit recedere à Fide?* Hac locutione insinuans illos temere, ac sine vlla causa recessisse à Fide, cū viderentur in ea profecisse, quam plurimum. Iam vero Fascinatio nugacitatis vocatur in sacris, quod à D. Ioanne in epist. 1. exprimitur, *concupiscentia oculorum*, hoc est, auaritia, & cupiditas rerū alienarum, & quia is morbus concipitur oculis, vocatur per allegoriam Fascinatio. Dicitur vero nugacitatis, quia bonorum fallacium, iuxta illud Psalm. 4. *Filij hominum vsque quo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.* Itaque concupiscentia oculorum est Fascinatio

Psal. cap. 4 ve. [illegible] 3.

 nu-

nugacitatis, hæc obſcurat bona; quia vt dicitur in epiſtola 1. ad Timoth. *Cupiditas radix eſt omnium malorum*, & vt ibidem Sapient. dicitur. *Inſtantia cupiditatis tranſvertit ſenſum, ſine malitia.* Itaque locutio illa Sapientiæ de Faſcinatione allegorica eſt; allegoria vero ſumitur à vulgari opinione, quod indicatum eſt multis exemplis in ſacris eſſe morales fabulas, & allegorias à fabulis tranſlatas, non aliter, ac in moralibus Philoſophorum libris. Porrò Eccleſiaſticus, *nequis oculo* oculi nomine inuidentiam damnat. Plinij verba non indicant dari Faſcinationem, ſed ſi figmentum eſt, nouum non eſſe. Quæ de antidotis dicuntur ſuperſtitioſa eſſe exiſtimamus, & ex ipſis Plinij verbis conſtat; ipſe enim dicit Religione pulitum, & ipſa Religio ſuperſtitioſa eſt. Optimè interpretatur Ariſtoteles loco nuper citato. Dicimus rutham, & alia ſimilia cenſeri Faſcinationis remedium; quia tunc ſe putant homines faſcinari, cum voraciter edũt, aut aliarum incommoditatum tenentur ſuſpicione, replentur enim flatibus, à quibus anguntur, & tunc rutham accipiunt, quia ad flatus diſcutiendos ab omnibus optimè commendatur.

Ad alias obſeruationes nominatim dico nõ eſſe

esse Fascinationem aliquam à naturalibus causis illatam, sed ad dæmones pertinere. Vtitur enim dæmon his superstitionibus, & his figmẽtis, vt existiment, qui consilijs suis credunt posse illis medijs vti ad fascinandos homines, & arbores. Itaque nō humanos oculos per se; sed dæmones per eos lædere infantes, & inde natā eam opinionem esse. D. Basilius cognomento Magnus in Hom. de inuidia dicit censere se dæmones vti inuidorum hominum oculis ad lædendum, vt instrumento quodam, & existimo, quod quando pueri pulchri, nitidi, & crassi, & adulti homines, & mulieres, quæ videtur summæ sanitatis statum attingere, & in morbos incidunt, non id à Fascinatione contingit, neque à dæmone fuit aliquis effectus introductus, sed quia cum non possit in illum summum sanitatis statum conseruari, necessarium est, vt in deterius eueniant. Ita Hippoc. in illa aphoristica sententia tenet. Qui summum bonitatis statū attingit periculosum; non enim in vno statu quiescere potest: si enim in illo statu nō quiescat, necessarium est, vt in deterius eveniat. Et Celsus id ipsum significat. Qui nitidiores solito sunt suspecta bona sua habere debent.

Ad rationes dicimus, & concedimus dari

mor-

morbos per sympathiam; non tamen illud per oculos communicari posse, quod alijs corporibus viuentibus noxam parare (vt probatum est) possit. Et quamuis Obtalmia oculorum affectio est, & alijs corporibus, scilicet alijs oculis communicetur, est dispar ratio; nam obtalmia inter affectiones contagiosas connumeratur, neque contagium ipsum negamus, scabies, lepra, & alij morbi contagiosi sunt; nam ex illis quid vaporosum, putredinosum communicatur, quod alia corpora inficere valet citra imaginationis aliquod obiectũ apprehensum, sed tantummodo naturali euentu. Et quamuis sit verum omnia nomina significatiua esse, asserimus similiter esse nomina significatiua figmentorum, & chymerarũ; sicuti alia nomina, quæ res reales, a parte rei existentes significant. Fascinatio etenim nomen significatiuum est cuiusdam figmenti hominum malevolorum: forsan consilio dæmonis talibus hominibus datum.

(S)

CA-

CAPVT XXXIIII.

De Suffusione.

IN lib. 4. Reg. cap. 8. (quando Rex Syriæ Benedab ægrotabat, & misit Azachel ad Elisæum, qui ostendens, quod moriturus erat) legimus, *Et conturbatus est vsque ad Suffusionem vultus.* Dubitatur an illa fuisset vera, & propria Suffusio, an vero impropria.

Pro quo notandum est, quod Suffusio, idem est Hispano sermone *catarata*, & nihil aliud est, quam impedimentum quoddam in foramine tunicæ vbeæ existẽs, ex humoribus ibi imbibitis vel densatis, quod est in causa, vt species ex obiecto non possint peruenire ad partem visionis elicitiuam, quæ humor christalinus est. Hæc affectio morbus est in via, & ad obstructionem reducitur; quia redditur cauitas, vel angusta, vel impedita. Aliquando contingit, quod totum vbeæ foramen sit impeditum, & tunc est visus actio ablata, quia humor, vel multus, vel crasus vel densus totaliter impedit visionem. Aliquãdo pars foraminis est impedita, siue versus dextram, sinistram, superiorem, vel inferiorem

par-

partem. Aliquando ſolum medium foraminis vbeæ. Et aliquando diuerſæ portiones, ita obſtruunt foramen, vt videatur ad modum chybri, quod quidem ex humoris diuerſa poſitione contingit, & in his caſibus diminutè læditur viſus. Aliquando humores totum vbeæ foramen adimplent, & diminutè videntur obiecta, quia ita tenui ſunt nimis, & rari, vt videatur obiectum ſecundum ſe totum, ſed non cum illa perſpicacitate, claritate, & diſtinctione, ac quādo nullus in vbea erat obſtruens humor. Et duę ſunt ſpeties quædam per propriam paſsionem, & alia per conſenſum ex inferioribus partibus quarum curationem doctiſsimè tradit Ioannes de la Serna lib 4. de Indicationib. c. 6. de affectionib. per conſenſum.

His ſuppoſitis dubitatur, an quando Rex cō turbatus fuit vſque ad ſuffuſsionem vultus, hoc eſt conturbatus fuit animus ipſius, & humores & ſpiritus, ita agitati fuere, vt obiecta indiſtinctè videret, vultumque tantummodo perſonarum percaleret, quia dictum ipſi fuit, quod moriturus erat (nihil mirum cum nihil ſit in rerum natura; quod corporum noſtrorum potentias, ita valeat perturbare, quam mortis infallibilitatis apprehenſio) illa fuiſſet vera ſuf-
fuſio

fuſio, an vero affectio ſimilis ſuffuſioni?

Dico breuiter, quod illa non fuit vera ſuffuſio, hoc eſt verus tunicæ vbeæ affectus, ſed apparens. Contingit enim in quamplurimis animi mæroribus, & conturbationibus, vt in vehementi ira, nimio gaudio, magno timore, & alijs huiuſmodi, in quibus diuerſimodè ſanguis & ſpiritus mouentur pro diuerſitate paſsionũ. In dictis paſsionibus ſpiritus, ex ſuis deficiunt ſenſorijs, & omnes ad principium vitæ, ſcilicet ad cor confluunt, vnde auditus ſonum percalere nõ valet, neq; lingua vocẽ dearticulatã emittere poteſt, neque tangibilia ſine torpore tãguntur. Omnes potentiæ, tam internæ, quam externæ veluti torpore pro illo tunc afficiuntur, nempe dum illa humorum, & ſpirituum perturbatio durat, ſenſoria depauperata manent ſpirituũ copia. Sunt enim ſpiritus animales (quia ad oculos deueniunt viſorij vocantur) inſtrumenta medijs quibus viſio fit, quia ſpecies in ipſis ſubiectantur. In animi perturbationibus, cũ ſubitò & repentè confluant ad cor, vel nullus remanet in ſenſorijs ſpiritus, & ſic pro tunc erit actio ablata, vel ſi remanent, ſunt pauci, & inſufficientes ad actionem perfectè eliciendam, vnde tantum vultus rei, hoc eſt, magnitudo, ſi-

ue partium quantitatiuarum extensio percipitur. Figura, numerus, & alia sensibilia communia non apprehenduntur: nam etiam si sensibilia communia sint, sicut magnitudo, non tamẽ ita sunt cum propria obiecti spetie immutatiua, ac ex sua natura est vultus magnitudo propter diuersarum partium quantitatiuarum extẽsionem, quæ ad prædicamentum quãtitatis pertinet, & materialior cæteris est; alia vero sensibilia communia minus materialia sunt, & ita ad alia pertinent prædicamenta.

CAPVT XXXV.

De Surditate.

POST oculorum, siue visus affectus enarrationẽ, suo ordine sequitur, vt agamus de auditus affectionibus, & primo de Surditate, quæ maior ipsius affectio est. In sacra Pagina, hæc sunt de Surditate scripta verba. Leuitic. cap. 19. (inter alia præcepta) legimus: *Non maledices Surdo.* Ait Cornelius, quia hoc valde inhumanũ est, vt ei qui se defendere nequit iniuriam irroges. Sanctus Gregor. 3. p. Pastor inquit, Surdo maledicere est absenti, & non audien- *Leu. c. 19. ver. 14.*

Esai.c.29. ver.18. dienti derogare. Esaias 29. *Et audient in dia illa Surdi verba libri.* Lyra dicit, quod hic non loquitur de Surditate corporali. Et cap. 35. *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures Surdorum patebunt.* Et cap. 35. ver. 5. Similiter non intelligitur de Surditate corporali, sed de spirituali, quæ medijs Christi miraculis, & Apostolorum sanata fuit, recipiendo fidem. Quamplurima alia sunt testimonia, quę de Surditate agunt, & expositores omnes intelligunt de illis, qui obedire nolebant, & Euangelio repugnabant.

Loquimur Medicè de Surditate corporali, Mar. ca. 7. ver. 32. de qua videtur, quod D. Marcus cap. 7. *Adduxerunt ei Surdum.* Et ver. 37. Loquitur deinceps, *& Surdos fecit audire.* Et cap. 9. ver. 25. Et cap. 9. *Surde & Mute spiritus ego præcipio tibi exi ab eo.* Pro qua quidem corporali Surditate notandum est, quod & si verum sit, quod homo naturali sciēdi desiderio omnibus sensibus vtitur, & per omnes acquirit medijs speciebus notitias, quas nunquam habuit, nihilominus per auditum perfectiori quodammodo spiritualiori, hoc est, immaterialiori adquiritur scientia. Omnes enim sensus operantur præsente obiecto, & quamuis sonus obiectum est auditus, non tamen est, quid ita materiale sicuti cætera cæterorum sensuum obiecta, vt homo

mo doctus fiat per visum, necessarium est, vt habeat ante oculos scripturas, quæ cōceptum significant; iste tamen conceptus est mortuus; conceptus tamen, qui per auditum media voce formatur, viuus conceptus est, & ita quoad hanc partem perfectior est auditus cæteris sensibus. Actio enim ista, sicuti cæteræ, lædi potest tripliciter: diminutè, deprauatè, & abolitè. Diminutè quando nisi magna voce, vel in parua distantia vox percipitur, & vocantur surdastri, vel qui auditu tales affecti. Deprauatè, vt quādo percipimus acutum sonum, qui ex se grauis est, & è contra. Et abolitè, quando nullos sonos, neq; magnos, neque paruos, neque propinquos, neque distantes audiri possunt. Hæc affectio vocatur surditas, & magna affectio est propter duas rationes. Prima est, nam ex illis est, quæ à Deo causantur, & sanantur, & quamuis Deum in omnibus in tuemur, non tamen nisi in magnis Dei omnipotentiam intuemur; parua enim (& si miranda) naturæ relinquimus, magna naturæ Auctorem requirunt. Primū constat ex illo Exod. cap. 4. Dixit Dominus ad Moysem.) *Quis fecit Os hominis, aut quis fabricatus est mutum, & surdum, videntem, & cæcum?* Secundum constat, ex Matth. cap. 11. in quo Christi miranda narrat

Exo. cap. 4. ver. 11.

Mat. c. 11. ver. 5.

N por-

portenta: *Cæci vident, Claudi ambulant, Leprosi mũdantur, Surdi audiunt, & mortui resurgunt.* Et Lu. c. 7. *Quia Cæci vident, Claudi ambulant, Leprosi mũdantur, Surdi audiunt, & Mortui resurgunt.* Andr. Laur. vir certè primus in re anothomica lib. 11. cap. 13. dicit, quod in auditu reperitur membrana quædam, quam tympanũ vocant, quia tympani modo tendatur. Tenuis est, densa, sicca, pel lucida, & exquisitissimi sensus. Tenuis quidem vt sonum, & externũ aerem admittat facilè. Dẽsa vt externis obsistat iniurijs; sicca vt melius per sonet. Situ habet obliquũ mẽbrana hæc, ne aer, aut externa corpuscula recto motu eam impetant. Ortum ducit non à pia membrana (alio nomine meninga) nec à neruo quintæ coniugationis dilatato, sed à portione duræ meningis, cuius naturã omnino refert. Quod si hęc mẽbrana à prima conformatione crassior, siccior, & durior est Surditatis insanabilis causa est, & statuitur. Vndè existimo probabiliter Surdos, quos Christus sanauit insanabiles naturaliter fuisse propter dictam causam. Secũda ratio est: Nam cũ homo essentialiter sit animal rationale videtur, quod qui Surdi sunt fiant ignari defectu intelligẽtię, quę medio capitur auditu. Hoc enim insinuare videtur Arist. lib. 1. Metaph. c. 1. qui

Luc. cap. 7. ver. 21.

qui ita dicit. Sermo enim disciplinæ est author, cum sui audiendi copiam faciat, nõ per se, verũ ex accidenti, quippe qui ex nominibus cõstituatur; horũ autem quodvis index est, quamobrem de his qui iam inde ab ortu naturæ vtroq; sensu priuantur, cœci mutis & Surdis longè prudentiores sunt.

Causari potest hoc Synthoma à plurimis de causis, quæ valeant sensationem obtundere, vel impedire neruo auditorio ex cerebro ducẽs originem, vt nimia aeris frigiditas ipsos distemperans, cerebrum & neruos, nec nõ cæteras ipsius organi auditoris partes concauitatẽ, vel ventriculum quoddam componentes spetiem medio aere continentem. Vehemẽs calor similiter virtutem exoluens, id ipsum efficere potest. Siccitas magna neruos corrugans, sicuti humiditas in neruis imbibita Surdum posse hominẽ efficere, nemini erit dubium, preter has primas qualitates possunt omnes quatuor humores, vel crassitie, vel lentore, vel multitudine organum obturare, vel obstruere, & id ipsum flatus crassus in cerebro genitus inclusus, & difficulter exolubilis causare potest.

CAPVT XXXVI.

De Sternutatione.

QVI de morbis partium scripserunt inter vitia Nariũ merito Sternutamentũ possuerunt; quia irritatio persentitur precedẽs motui Sternutationis ibi in processibus mammillaribus. Ita in præsenti nos facimus. Iob 41. hæc dicit: *Sternutatio eius splendor ignis, & oculi eius, ut palpebræ diluculi.* Lyra dicit, quòd quia caput principalior pars est, incipit dæmon suas in capite Sternutationi similes facere operationes. Quando enim homo fortiter Sternutat ex commotione cerebri commouentur oculi, & sic ab eis videtur quasi scintillæ quædam egredi. Debemus igitur in præsenti de Sternutatione agere. Avicen. fen. 5. lib. 3. tractat. 2. cap. 13. sic ipsam definit Sternutationem. Sternutatio est motus proprius cerebri ad expellẽdũ humorẽ, aut materiã aliã cũ auxilio aeris naribus attracti subitò per viã nasi & oris. Hipp. sect. 7. apho. 53. hęc dicit; Sternutamentum fit, ex capite calefacto cerebro. Aer enim motus, & contentus extra erũpit; sonat autẽ, quia per angustũ locũ ipsi est exitus. Vndè

Iob. cap. 41. ver. 9.

eſt; quod propter ſpirituū animaliū agitationē, & cōmotionem oculi ſplendentes videantur; quia ipſi ex ſua natura ignei, ſplendenteſq; ſunt. Ita ſi aliqui noctu ſternutant exiſtimant in palpebris ſplendorem ſimilem auroræ aparuiſſe. Nam ſicuti ex confricatione duorum lapidum ignis ſcintilla repente proſilit. Ita ex Sternutatione vehemēti ad modū ſcintillæ, ſpiritus ſplēdentes exeunt ab oculis ex quibus clare conſtat, quid ſit, & quomodo fiat, ita vt nos amplius immorari non ſit neceſſarium.

Aliqua perquirere nobis licitum erit, quę in ſternutatione cōtingunt, & experimur. Theophraſtus dicit ſenes laboroſius ſternutare, quod eſſe verum omnibus experimento eſt compertum. Quæ nam ſit cauſa percontatur? Reſpondetur primo propter debilitatē facultatis pellētis id contingere. Naturaliter enim per ætates omnes cerebri facultates (& totius corporis) debilitantur. Secundo, quia ſenes habent cerebrū frigidius, & ita neceſſaria eſt magna cauſa aërem intra cerebrum calfaciens, vt facultatē pellentem valeat irritare.

Dubitatur deinde, quænam ſit cauſa, vt maior fiat ſonus, quando Sternutat vir, quam fœmina, adoleſcens quam puer, ſenex quam iuuenis.

nis. Respondetur, quod ad sonum, non solum est necessaria angustia loci, vt aer percutiatur per diuersas partes, sed est necessarium robur; & ita quanto robur fuerit efficatius, tanto sonus erit intensior. Viri namque natura sua fortiores sunt fæminis, & ita maiorem strepitum causant in Sternutamento, & quia cauitates ampliores habent, inde est, quod sonũ minus acutũ, vel tenuẽ efficiãt. Et iuuenes similiter fortiotiores sunt pueris, qui in temperatura muliebri correspõdent; & quamuis senes debiliores sint, nihilominus tamen strepitum, vel sonitum maiorem experimur. Et ratio est: nam vnã ex conditionibus soni est, vt aer repercutiatur in re sicca. Non enim in rebus humidis vel blãdis fit sonus, cum ergo senes sint licciores, inde est, quod aer inclusus in cerebro ad faciendum Sternutamẽtum maiorem faciat sonitum; quia membranæ quasi siccæ sunt à siccitate ætatiua, & tensæ, vt ad modum tympani, si feriantur, sonum efficiant.

Hippocr. sect. 6. Apho. 13. dicit, singultienti si Sternutamentum superuenerit tollit singultum. Dubitatur in præsenti, quomodo Sternutamento tollatur singultus. Respõdetur, quod singultus ad modum convulsionis est; habet

enim

enim ad perficiendam actionem ventriculus tunicas duas. Intromittitur flatus crasus inter tunicam internam, & externam, & cum repleat illam contiguitatem offenditur natura, quæ ipso irritata ipsum pellere conatur, & illa actio, vel conatus facultatis pellentis ventriculi in pellendo illo flatu est singultus. Et quia quando fit Sternutamentum maximopere natura intendit pellere nociuum, ex accidenti euenit, quod compresſis omnibus partibus in nociui expulsione in cerebro existentis, quod etiam nociuum inter ventriculi tunicas pellatur, & ex accidenti singultus Sternutamento sanetur.

Dubitatur, an illa actio pellendi in Sternutamento sit naturalis, an vero animalis? Respõdetur, quod est animalis, quia tantum animalia sternutare valent, minimè plantæ. Tum, quia ad Sternutamentum, non solum sufficit irritatio, sed requiritur cognitio interni sensus talis irritationis, & ita propria actio est animalis motiuæ facultatis in cerebro existentis.

Dubitatur vlterius cum Arist. 10. Problem. quæst. 53. cur ex animalibus homo maximè valeat Sternutare? Respondetur, quia animal erectum est, influxus cœlestes principaliori modo

recipiens;quibus cerebrum calefit,&Aër inclusus attenuatur,vndè experimento constat excitari Sternutamentum, quando solem inspicimus.

Dubitatur, cum Sternutamentum homine sano existente fiat,cur inter affectiones præternaturam numeretur?Respondetur, ita esse fieri homine existente;nihilominus actio quodammodo præternaturalis est, & ad deprauatam in actione adaucta reducitur. Quia irritatio illa excedit naturæ limites,ita vt si diutius duraret,esset affectio periculosa; sicuti si famis animalis, quę in ventriculo celebratur,vel expulsio naturalis excrementorum,etiam si secundum naturam fiant,irritatio,& dolorosa sensatio est præter naturam,præcipuè si tempore aliquo durat.

Dubitatur,an heuforbium, tabacus, & alia medicamenta Sternutatoria causent Sternutamentum,irritando suis qualitatibus acribus,an vero calefaciendo,& aërem attenuando?Respondetur,quod talia medicamenta id efficiunt primis & secundis qualitatibus. Primò calefit citò aer in cerebro contentus ; & secundis fit irritatio in nasi procesſibus mammillaribus,vt citius pellatur,& strepitu,sonituque magno fiat Sternutamentum.

CAP.

CAPVT XXXVII.

De Balbutie.

APVD Isaiam cap. 32. hæc referuntur. *Non caligabunt oculi videntium, & aures audientium diligenter auscultabunt, & lingua Balborum velociter loquetur, & planè.* Lyra per linguam Balborum dicit, quod intelliguntur illi, qui tempore Achaz, non audebant Deũ Laudare manifestè, & idolatri erant publici. Maldonatus super cap. 7. D. Marc. circa verba *Et adduxerunt ei Surdum, & Mutum*, dixit, quod ille non omnino fuit mutus, sed impeditus ad loquendum propter aliquam linguæ affectionem, vt est humoris alicuius crassi imbibitio in ipsius musculis, ita vt ægrè, ac difficilè loquellã emitteret, quod subindicare Marcus videtur, cum dicit locutum fuisse rectè, veluti insinuãs loqui quidem antea, sed nõ rectè loqui potuisse, quod propriè Balbutientibus contingit. Esai. c. 34. vers. 4.

Balbuties affectus est linguæ, ipsa ad locutionem necessario debet moueri, & ad motum indiget mediocri mollitie, & quod nerui ad ipsius motum nullatenus siccitatem aliquam habeat,

ne ipſam incuruatam, & inobedientem ad motum reddant. Siue ſiccitas ſit natiua, ſiue contracta à morbo, vel à maxima humiditate; ita vt non poſsit lingua vim neceſſariam ad locutionem adquirere. De his loquutus fuit Hippoc. ſect. 6. aphor. 32. Balbi diarrea longa maximè capiuntur. Et ratio eſt, quia ingens eſt humiditas, vel à ſolutione continuitatis aliquam cicatricem inducentis; nam ſi id contingat poterit actio loquendi lædi, vel abolitè, vel diminutè, vel deprauatè ſecundum cauſæ magnitudinem. Balbuties etenim Synthoma eſt in actione deprauata: Conſtat enim ex modis, quos refert Iſaias. *Lingua Balborum velociter loquetur, & planè.* Ergo quia Balbi, quatenus Balbi, neque velociter loquuntur, neque planè; quando velociter non loquuntur, repetunt ſyllabam, quod vitium titubantia appellatur, ſiue hæſitantia linguæ, & ab alijs vocatur Batariſmus à Batarro Zinerarum Rege, qui ſemper primam ſyllabam repetebat. Vel quando non poteſt homo totã dictionem proferre, & appellatut Bleſitas, vel Balbuties. Ariſt. lib. 2. de partib. animal. cap. 17. hoc exiſtimat. Alter modus relatus ab Iſaia eſt, quando non loquuntur planè, hoc eſt, quando loco vnius litteræ pronũtiatur altera, vt pro R.

vel pro P. T. & sic de alijs, & hæc est vera Balbuties. Aristot. sect. 11. Problem. quæst. 30. de quibusdam horum dixit.

CAPVT XXXI.

De Mutitate.

CIRCA Mutitatis affectionem, hæc extant verba, præcipuè apud sacros Euangelij Historiatores, vt Matth. 9. *Et locutus est mutus.* Et Luc. cap. 11. *Erat eijciens dæmonium, & illud erat mutum* (quod Theologis occasionem præbuit disputandi, an sint dæmones muti, nam alios mutos, & alios semimutos legimus) Maldonatus credit non omnes dæmones mutos aliquando esse, sed quemadmodum aliqui libidine, alij auaritia, & alij alijs modis vexandi homines delectantur, ita esse quosdam qui cupiunt homines, quos obsidet mutos reddere. Similiter de Mutitate legimus, Exod. cap. 4. *Quis fecit os hominis, aut quis fabricatus est mutum? nonne ego?* Psalm. 30. *Erubescant Impij, & deducantur in infernum, Muta fiant labia dolosa.* Ecclesiast. 20. *Dona excæcant oculos iudicum, & quasi mutus auertit correptiones eorum.* Esai. c. 35.

Matth. c. 9. ver. 33.

Luc. cap. 11. vers. 14.

Exod. c. 4. ver. 11.

Spalm. 30. vers. 19.

Eccles. cap. 20. ver. 31.

Esai. c. 35. vers. 6.

Tunc

Tunc saliet, sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum. Et Baruch. cap. 6. *Qui cũ audierint mutum non posse loqui.* Alia quamplurima sunt in sacris Litteris testimonia, in quibus de Mutitate fit sermo, quæ non refero; Dicta sufficiunt, præsens institutum.

Baruch. c. 6, ver. 40.

Mutitas igitur affectio est linguæ in actione ablata; nam ipsa affecti nihil loqui possunt, etiã si prorumpant vocẽ, quæ mugitus potius, quã vox dicitur. Vox enim hoc est sermo, siue loquella significatiua conceptus, tamen qui ipsos audiunt mutos nihil per mugitum intelligunt, qui est vt sonus, qui ex se nihil significat. Galen. lib. 1. de vsu partium cap. 1. dicit, quod sunt aliqua animalia, quibus collum deest, & isti mugitu carent, quia priuantur instrumentis, quibus mugitus animalium proprius fit.

Communiter ab Auctoribus perquiruntur causæ Mutitatis, & est receptissimum paralysim ipsorum neruorum deseruientium ad locutionem posse Mutitatem causare, siue à natiuitate, siue à morbo, & siue fiat à causa obstruente, siue à frigiditate condensante, & sic de cæteris qualitatibus id ipsum primario, vel secundario facientibus. Controuertitur vero, an omnis

Mu-

Mutus sit surdus; ita vt surditas Mutitatis sit causa. Aristot. affirmatiuam partem videtur tenere lib. de sensu, & sensibili cap. 1. vbi auditum sensum disciplinæ posuit. Omnis enim disciplina per auditum habere ingressum constat; & ita videtur, quod qui benè audiunt, sapientes fiunt, & suos loquella exprimunt conceptus. Hoc enim videtur consonum Sapient. 10. *Quoniam Sapientia aperit os Mutorum, & linguas infantium facit dissertas.* Et ita qui surdi sunt, siue à natiuitate, siue à morbo Muti similiter sunt. Constat ex Philosopho lib. 4. de Histor. animal. cap. 9. vbi ait. Qui Surdi iam inde ab ortu naturæ sunt ijdem etiam Muti, vocem ergo emittere possunt, locutionem vero nullam. Et quamuis de surditate à natiuitate sit prolata sententia, videtur idem esse faciendum iudicium de surditate ex morbo, præcipuè si contingat in infantia, vel non cœperint tales audire. Quacũque enim causa fiat surditas non cessat affinitas, vel connexio illorum sensuũ, & ita quando sect. 11. problem. perquirit Arist. cur sensus auditus maximè ab ortu naturæ offendi possit. Respondet, an quia auditus, & vox ab eodem principio proficisci videantur, aut quia locutio species vocis est. Iudicium huius rei est, quia quando nati sumus

Sap. c. 10. ver. 21.

per

per multū tempus obmutescimus, deindè balbutire incipimus, nullumque verbum proferre possumus. Cum itaque facilè locutio peruerti possit, idemque principium audiendi, & loquēdi sit vox, videtur quasi per accidens omnium sensuum interitum posse esse auditum. Ergo si idem est principium audiendi, & loquendi cessante auditu, cessat locutio. Hoc experiētia quodammodo verificamus: nam illi, qui surdi sunt, quando loquuntur, ita summissam, paruam, vel remissam reddunt loquellam, vt multoties ipsos percalere non possimus. Non parum facere negotium aliquibus ad hanc rem confirmandā; quod dicitur Marc. 7. cap. *Et adduxerunt Surdum & Mutum.* Vbi prius fit mentio de Surditate, ac si Mutitatis sit causa, & Psal. 37. *Ego autem tanquam Surdus, non audiebam, & sicut Mutus non aperiens os suum.* Vbi Surditas referri tanquam obmutescentiæ causa videtur.

Marc c. 7. ver. 32. Psalm. 37. ver. 14.

His non obstantibus sit conclusio, si Mutus sit à natiuitate, hoc est, si Mutitas intra vterum, vel à principijs contrahatur generationis in ipsa scilicet conformatione, vel post ortum in quacumque contingat ætate; non est necessariū (etiam si vt in plurimum contrarium cōtingat) vt sit surdus, neque è contra, si surdus Mutus.

Pro-

Probatur primò, ratione; si necessariò Mutus esset surdus; maximè, quia eadem esset pars elicitiua vtriusque actionis, & solum differrent in diuersitate vbicationis, vel situs, & similiter têperiei ad diuersas exercendas actiones. Sed sic est, quod (vt ex communi anothomicorum cõsensu constat) partes quibus actiones debentur, non solum sunt diuersæ in organizatione, & têperie, sed in realitate, ita vt nerui deseruientes ad loquellã sint distincti, & numero diuersi à neruis ad auditum. Ergo siue affectiones contrahãtur à naturæ primordijs, siue post ortum, sicuti sunt distinctæ affectiones poterit Mutitas sine Surditate, & è cõtra inueniri. Probatur minor: nam ad linguæ radicem veniunt nerui ex tertio pari, & ad linguam quidam ex septimo, ex quinto autem pari ramus ad auditum. Quæ diuersitas sufficiens est, vt actio vnius lædatur sine alterius actionis læsione. Et experimento est cõpertum in illis, qui obmutescunt propter neruorum resolutionem (quam paralysim vocamus) nullatenus surditate affici. Ergo cum id ipsum, ex plurimis causis intra vterum posit contingere, nemini erit dubium posse Mutitatem sine Surditate, & è contra inueniri.

Sed obijcies etiam si doctrina posita quantũ ad

ad partiũ diuersitatẽ teneat verũ, nõ tamẽ ex eõ sequitur, quod Surdus à natiuitate non debeat esset Mutus, etiam si in linguæ neruis nulla reperiatur affectio, vel impedimentum; quia cum non possit doceri defectu specierum, quæ medio auditu adquiruntur, nullatenus poterit loqui, & ita erit Mutus.

Respondetur, quod quamuis Surditas ab initio formationis contingat non erit de necessitate homo Mutus. Nam vt dicit Andræas Laurentius lib. 11. de re anothomica cap. 10. sicuti primi rerum inuentores verba, & dictiones finxerunt, quibus animi sensus exprimerent (nam sic natura hominem armauit) ita qui Surdi à natiuitate essent, suo modo nomina rebus imponerent, ita vt omnibus esset illorum comperta loquella, & nullam habere in lingua affectionem. Verumtamen, quia hoc videtur alludere opinioni circa infantium locutionem primam, vel sermonem (de quo statim agemus) relinquo. Et dico cum Petro Garcia Carrero lib. de locis affectis disp. 32. cap. 3. quod tales possunt disciplinari scripturis, & characteribus. Hoc dicit Arist. lib. 1. de interpretatione cap. 1. ita asserit. Sunt ergo ea, quæ sunt in voce earum, quæ sunt in anima passionum notæ, & ea quæ scribuntur

co-

eorum quæ sunt in voce: cum quo stat, non habere necessitatem aliquam naturalem, vt scriptura significet, conceptus media voce formata sono quodam.

Ad in principio posita respondetur, & 1. ad illud Arist. lib. de Sensu, & Sensili. Verũ esse auditum sensum disciplinæ esse, non tamen, id est simpliciter necessarium, sed ad perfectius operandum secundum perfectionem à natura ordinatam. Quod vero dixit lib. 4. de Hist. animal. cap. 9. intelligit, non absolutè, sed secundũ cõmunicationem sermonis. Quando autem dixit auditum, & vocem esse ab eodem principio, nõ intelligitur quantum ad organa quę sunt diuersa, neque quantum ad primam radicem, sed quã tum ad principium immediatum magis, quam cerebrum, ratione vtriusque: nam nerui vtriusque sensus sunt valdè proximi. Quod vero in testimonijs sacris allatis ponatur Surdus prius, nihil contra nostrum probat conclusionẽ; quia non ponitur Surditas tanquam mutitatis causa sed ad significandam sympathiam, quæ inter ista organa reperitur.

Dubitatur, an si infans ita lactaretur, vel nutriretur, vt nunquam sermonem aliquem, vocẽ, vel loquellam audierit (vt de quamplurimis hi-

ſtoricæ enarrationes teſtantur, ſicut de Remo, & Romulo primis Romæ fundatoribus, & dominatoribus, eos quandam lupam lactauiſſe aiũt) eſſet Mutus vſquequo diſciplinaretur, vel aliquo idiomate, vt aliqui exiſtimant potiſsimum primorum parentum loqueretur? Occaſionem præbuit ſufficientem Andræas Laurentius, vir ſanè doctus loco citato, qui dicit tales pueros ſermonem ad libitum adinuenire, vt ſuos poſſent ſignificare conceptus. Aliqui exiſtimant tales pueros loquellam primam Hebraicam prorumpere, quia hic ſermo eſt conceſſus hominibus naturaliter. Verumtamen nullam oſtendũt rationẽ, vt id confirment. Debebant enim probare, quod lingua Hebraica naturalior ſit cœteris alijs hominibus, & quod ſine diſciplina infans ipſo idiomate Hebraico vteretur.

Mihi tamen aſſerendum viſum eſt cum Petro Garcia Carrer. diſp. 32. de locis affectis c. 2. minimè tales pueros (naturaliter loquendo) niſi diſciplinarentur loqui idiomate aliquo, imò obmuteſcentes eſſe, vocem tamen emittere ad modum ſoni, quæ nihil eſt ſignificatiua. Probatur: nam vbi nulla eſt ſpecies nullatenus fieri poteſt ſenſatio. Sed tales pueri nullam de idiomatè, vel caractere potuerunt habere ſpeciem,

Er-

Ergo nisi supernaturaliter loquellam habere non potuerunt. Dixi supernaturaliter, quia nobis notum est plurimos pueros recenter natos locutos fuisse, vt ex historijs grauissimorum Auctorum constat; id tamen non naturaliter, sed super naturaliter contigisse, nō solum propter specierum defectum, sed propter temperiē infantilem humidissimam ineptam ad loquellam, sicut ad motum localem, & alias adultæ ætatis actiones, & ita miranda ex talium infantium locutionibus visa fuerunt portenta.

CAPVT XXXIX.

De Rauca voce.

REX Propheta Psal. 68. hæc ait: *Laboraui clamans; Raucæ factæ sunt fauces meæ, defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meū.* Metaphoricè hic loquitur Dauid, nō quia vera, & realis fuisset Rauca vox, sed quia vt dicit Lyra, lōga fuit oratio, & dilatata exauditio. Verumtamen hoc non obstat, vt nos à nostro instituto discedamus, ita vt in quo consistat, quod vox fiat Rauca, & quodammodo fiat ex magnis, & vehemētibus clamoribus, hoc est, ex intensis vocibus.

Psalm. 68. ver. 4.

Circa quod aduertendum eſt, quod vox teſte Ariſtot.lib.2.de Anima capit.9.eſt ictus aeris reſpiratione attracti ab anima, fit ea, quæ in his partibus collocatur ad eã, quæ gurgulio appellatur cum imaginatione aliquid ſignificandi. Itaq; vox nõ conſiſtit formaliter in ictu, ſed cauſaliter ſicuti ſonus. Prius igitur ad vocem, & ad ſonum debet præcedere ictus aeris, qui non ſolum attrahitur ad cordis refrigerium, & ſpirituum vitalium generationem, ſed etiam ad vocis formationem tanquam materia, ad hoc vt anima, quæ cauſa æquiuoca eſt omniũ actionum media facultate animali moueat inſtrumenta motus voluntarij; ſcilicet reſpirationis ad ſignificandum ea, quæ in imaginatione ſunt. Gurgulio igitur pars eſt media, qua fit vox perfecta. Dixi perfecta, quia multi ſunt, qui ipſum abſciſſum, vel corroſum habent, vel à natiuitate, vel ex morbo, & nihilominus loquuntur vocem quãuis imperfectam emittunt; quia non detinetur aer, ac facto ictu in gurgulione. Vox etenim, & quilibet alius ſonus neutiquam fieri poteſt, niſi aer aliquãtulum in parte percuſa detineatur. Detinetur vero in vocis formatione à muſculis laringis, qui ad hunc vſum fuerunt facti. Inter læſiones vocis, quas Gale-

Galen. lib. 4. de locis affectis cap. 1. depingit, raucedinem adnumerat. Fit enim (dicit) vox rauca propter distillationes, vehemens quoque exclamatio similiter fauces afficit. Et lib. de vtilitate respirationis tract. 3. Epiglatis autem est sono ra acutè vocis, cum sit cartilaginosa, sicca resistens aëri, ideò quando humescit, accidit raucedo. Vndè cũ per magnam vociferationem, vel clamorem, non solum aër fortiter impellatur, & feriat Epiglotim, vt magnus consurgat sonus, sed musculi omnes faucium maximopere comprimantur ex compressione humiditas in asperæ arteriæ principio expressa decurrens in æquale efficit instrumentum, & ita cum multa humiditate sit aspera arteria repleta, & ipsa humiditas aere inspirato, & expirato multoties huc & illuc moueatur, fit sonus inæqualis, & raucus, sicuti quando sonum facimus supra pellem humidam, & mollem: quando vero est pellis sicca, & tensa, sonus fit acutus, & hoc experimẽto comprobatur in senibus, qui ratione multarum humiditatum quibus pro ætate sunt oppleti vocem habent raucam valdè diuersam à iuvenibus & pueris.

In præsenti poterit quis dubitare, an fieri possit vox, absque eo quod aer attrahatur inspira-

tione ab extra. Hanc dubitationem similiter Theologi exagitant, cum quærunt, an in Beatis reperiantur voces, cum ibi non sit aer, qui simpliciter necessarius est ad vocis formationem inspiratione attractus, & expiratione expulsus?

Respondetur ibi vocem, & locutionem esse, vt testimonio plurimorum sanctorum constat, quæ fit medio aere non attracto, sed existente intra pulmonem, qui mittitur vsq; ad locū, vbi formantur voces, & postea iterum regreditur, & non erit extra os, quia hoc non est necessariū. Hoc constat, ex S. Thom. 2. distin. 2. quæst. 2. art. 2. ad 5. si vero dicas, vndè habent tales aereā substantiam? Dixit enim Angelicus Doctor, & Ecclesiæ splendor, quod sicuti sunt animalia, quæ habent spiritum complantatum, vt dicitur lib. de Somno, & Vigilia c. 3. ita Beati per aereā substantiam in prædictis partibus existentem. Verba ipsius sunt: Exanguibus vero & insectis. Et non suscipientibus spiritum improportionali, conatus enim spiritus exurgens, & concidēs videtur. Vbi videtur habere aerem semper existentem in partibus prædictis, quem fecit Deus in Beatis propter illum vsum. Qui existimant cœlos esse corruptibiles (secundum illud.

Psalm.

Psalm.101. *Opera manuum tuarum sunt cœli, ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur*. Et Marc.13. *Cœlum & terra transibũt* & in 3.cap. epist. 2. Petri. *Nouos vero cœlos, & nouam terram, & promissa ipsius expectamus*. Et Iob. cap.14. inquit. *Homo cum dormierit non resurget, donec atteratur cœlum, non euigilabit, neque consurget de somno suo*) factosque ex elementorũ mixtione, & in ipsis esse generationes, & corruptiones (vt ex obseruationibus plurimis Cometarũ supra Lunæ, & Solis Orbem factis à doctissimis viris constat) non indigent dictam sententiam de aere congenito ad vocis formationem tenere, sed vocem emittere posse, sicc itu nos ex aere illo puro, sincero, & impermixto.

Spal. 101. vers. 27.

Marc c.13 ver.31.

3.c. pist.2 Pet.ver.13

Iob.c.14. vers.14.

Hoc enim de Beatorum vocis formatione dictum fuit (siue vocem forment, ex aere inspirato sicuti nos, siue ex aere intercluso) ad dubitatiunculam, quæ se offert satisfaciendam, an scilicet Beatis (supposito, quod vocem formãt) ex magnis in Deum deprecationibus, & clamoribus fieri ipsis (sicuti dixit Galen.) rauca vox possit.

Cui dubitationi ego responderem, quod tales etiam si inspirationem expirationem, vocẽ,

efflationem,& vociferationem (quæ in ratione magis,& minus solum differunt) exerceant,nõ possunt raucas vnquã habere voces. Quia quod raucam efficit vocẽ est confluxio excrementitiæ humiditatis ex capite, vel ex toto in asperam arteriam: cum autem in Beatis (etiam si eisdem corporibus post Iudicij diem) implicet tales habere humiditates, vel fluxiones, non fient voces raucæ. Tum quia implicat, quod in præsentia summi boni reperiatur affectio aliqua præter naturam, summi scilicet Creatoris, à quo omnia non solum perfectionem, sed totum accipiunt esse, & in operari dependent. Tum quia instrumenta quibus vox formatur, ita sunt disposita (intra suæ virtutis sphæram) vt etsi vltimum sphæræ attingant terminum, nullam patiantur læsionem, & ita non raucas, sed sonoras,& auditui delectabiles emitttent voces.

(§)

CAP.

CAPVT XXXX.

De Stertore.

STERTOR secundum naturam fit benè se habente homine, vndè sunt homines natura sua Stertorosi. Potest tamen præter naturam fieri, vt Galen. lib. 3. de Difficultate respirationis cap. 7. dicit. Quibus supra septũ transversum fuerit in posteriorem partem luxatio his costæ non volvunt in latitudinem augeri, sed in anteriorem partem, & pectus acutum fit, sed non latum, ipsique difficulter spirantes fiunt, & Stertorosi. Et lib. 2. de Motu musculorum cap. 4. Stertor fieri solet relaxata inferiori maxilla supino iacente homine, etenim supinum iacere signũ resolutionis est. Vndè sequitur, quod Stertor Synthoma est facultatis animalis ad musculos thoracis, & alia respirationis instrumenta pertinens in actione diminuta, nam propter clausuram instrumentorum respirationis, difficilis respiratio redditur, & sonus ille Stertorosus reperitur, & prouenit à morbo in cauitate. Frequenter autem prouenit à pituitosis humoribus, ex cap. inter dormiendum

dum liquatis in asperam arteriam, vt in illis, qui ociosè dormiunt experimur, vt Lyra tenet super cap. 10. Prouerb. *Qui congregat in messe, Filius sapiens est, qui autem stertit æstate, Filius confusionis.*

Prou. cap. 10. ver. 5.

CAPVT XXXXI.

De Stridore.

GALENVS lib. 3, de Different. pulsuum cap. 2. dicit, quod Stridor non est nomen ciuile, neque vulgare, sed poëticum. Sic Ouidius 8. Metamor. hoc ait carmen: *Feruida quum rauco latos stridere per armos, spuma fluit.* Communiter Stridor vsurpatur pro strepitu, vel ingrato sonu qualis in curruum rotis malè inunctis experimur. De ipso igitur, qui dentibus appropriatur, loquitur D. Luc. c. 13. *Discedite à me omnes operarij iniquitatis, ibi erit fletus, & Stridor dentium. Cum videritis Abraham, & Isaac, & Iacob, & omnes Prophetas in Regno Dei, vos autem expelli foras.* Id ipsum Matth. cap. 8. refert. *Ibi erit fletus, & Stridor dentium.* Expositores in hoc loco duo suppliciorum genera distinguunt, Alterum ignis, & alterum frigoris. Et

Luc. cap. 13. vers. 28.

Matth. c. 8. ver. 12.

qui-

quidam existimant talem fletum,& Stridorem per metaphoram dictum fuisse. Ego vero cum Cornel. à Lapide existimo de vero fletu,& Stridore loqui sacram Paginam, vt ex ipsorũ natura constabit.

Quid sit Stridor dentium,& quibus de caussis fiat primò, & secundò, quomodo mœror, tristitia, clamor, & confusio causæ sint fletus, & dentium Stridoris in præsenti perquiritur.

Circa primum videtur Hippocratem primò prognosticorum id nos docere; Stridere autem dentibus in febribus, quibus nõ est consuetum à pueritia ita afficit, insaniam significat, ac mortem, sed in vtroque futurum periculum prædicendum est. Si vero delirans, ita efficiat ad modum exitiosum iam est. Galen. in Com. Stridores dentium fiunt, quoties musculi in temporibus, & maxillis convulsione commouentur interdum affectis ipsis musculis, aut ab ortu naturæ, aut per aliquam aliam viam. Et Comm. 2. in 1. Porriticorum Hippocra. tenet Galenus, quod dentium Stridor est perniciosus quibus in tempore sanitatis non est assuetus. Itaq; Stridere motus confricatiuus dentium inter se est. Qui si à pueritia contingat, non est periculosus; nam

nam in dentitionis tempore præmaximo gingibarum dolore in ipſorum eruptione, conante natura à moleſtante cauſa liberari comprimit mandibulas;& dentes inter ſe Strident; at quando aliter euenit morboſè contingit; quia ſiue propter muſculorum mandibulæ ſuperioris reſolutionem, ſiue propter convulſionem, ſiue propter inſaniã, vel furorem cerebri calor natiuus eſt reſolutus. Et ita totum caput grauitat, & ſuo pondere mandibula ſuperior ſupra inferiorem cadit, ita vt niſi magno Strepitu, confricatione, vel Stridore moueri non poſsit: & ita quando tales contingunt Stridores (vt experimento eſt compertum in morituris) lethales ſunt.

Secundo petit declarare, quomodo animi perturbatio, fletus, & Stridoris dentium ſit cauſa. Animus perturbatur à rebus contriſtantibus quæ ſenſibus præſentes fiunt; & quæ timorem concitent. Tunc enim temporis ſpiritus & ſanguis lento, & paulatino motu mouentur ad cor ipſumque calefaciunt, & ſpiritus caput calfaciunt, ſeroſitates attenuant, & ad oculos tanquam per canales tranſmittunt, & fit fletus. Verum non omnis animi paſsio, quæ ſufficit ad fletum, ſufficit ad dentium Stridorem

dorem. Et ita quando ſacri Hiſtoriatores dicunt ibi erit fletus, & Stridor dãtium, idem eſt, ac dicere, quod non ſolum erit animi paſsio neceſſaria ad fletum conducendum, ſed ad dentiũ Stridorem, quæ confuſsio eſt. Confuſsio igitur paſsio eſt compoſita, in qua omnes animi paſſiones, quæ animi tribulationem, & perturbationem involvunt, includuntur, vt timor, ira, inuidia, vindicta, deſeſperatio, odium, fuga, triſtitia, & ſic de cæteris ſimplicibus, & compoſitis animi paſsionibus, à quibus omnibus ſimul apprehenſo, & affecto animo diuerſis factis conſiderationibus, ita attribulatur, & perturbatur, vt ex magna improportionatata, vehementi, exceſsiua, & in explicabili paſsióne animus lethaliter afficiatur. Vndè organa informata, veluti attonita, veluti, gelida, & veluti marmorea, ab ſpirituum vitalium, & ſanguinis exolutione causata, ab inæquali, inordinato, difformi, multiplici, intrepido, & indicibili motu, ita vt partes propter calidi natiui exolutionem, & languorem, ita ſuo pondere grauitent, vt ſemel facto motu deorſum neutiquam ſurſum iterum mouere facultas motiua ſit valens. Et ita quando mandibula ſuperior, quæ muſculis temporalibus, & maxillarum mouetur, veluti ſtupida,

con-

convulsa,& marmorea quiescens supra inferiorem, dentes inter sese attrident, contunduntur, & confricantur vsque ad sonum, auditu ingratum, strepitudosum, siue stridosum, ita vt sit cõiecturabile, quod dentes Stridore illo excedẽti, tanquã si maleo contũderentur vehementissimo, & inexplicabili dolore euellerentur.

CAPVT XXXXII.

De Oscitatione.

Lib.4.Reg. c.4.ver.35 LIB.4.Reg.cap.4. hoc de Oscitatione habemus testimonium, quãdo Elisæus puerum mortuum suscitauit. *Et ascendit, & incubuit super eum, & Oscitauit puer septies, aperuit q; oculos.* Quãplurima sũt cõsideratione digna circa verba relata, & *ascendit.* Quare scilicet ascendit, & cur incubuit super eum, & cur Oscitauit, & quare septies? circa quæ plura apud Scripturarios, inter illos est Lyra, qui dicit, quod veniens super cadauer strenit; quia cum in forma Dei esset, semetipsum exinnaniuit formã serui accipiens, super mortuum septies inspirauit.

Ad nos attinet agere de Oscitatione, siue

Oſcitatio contingeret; non quia puer vere eſſet mortuus, ſed aliquo ſyncope (quod præceps virium lapſus eſt, non ſolum animalium, ſed vitalium.) Oppreſſus, ita vt neque vocem, neque pulſum, nec reſpirationem, neque ſenſum, neque motum (ſenſus iudicio) haberet, nec aliam actionem vitalem exerceret. Ita vt qui tali ſyncopali affectione iacent affecti mortuos eſſe iudicamus. Nam affectio vltra naturalem diem portenditur, & ipſos (aliquando contingit) vt mortuos in monumentis collocant, & tranſacto accidenti, cũ videant ſe in ſepulchro, clamant, & ſtrepitum formant, vt ipſos audire poſsint: Cum vero ita citò ipſis, non ſuccurrant, anguſtioſi, & afflicti moriuntur; ipſoſque extra arcam, vel locum in quo primo poſita fuere corpora raptiſque veſtimẽtis inueniunt, de quibus caſibus non pauca ſunt in aliquibus hiſtorijs narrata. Siue contingeret affectio in tali puero, quia eſſet (vt ſacra Pagina refert, & multoties repetit) mortuus, & ad animæ reunionem cum corpore flatuoſa materia pelleretur facta fuit ſepties Oſcitatio. Quam Galenus in lib. Hippocrat. de humoribus Com. 1. definit. Oſcitatio eſt veluti pandiculatio, quam vel humor flutuoſus, vel flatus

tus vaporosos in musculis contentus gignit. Vnde videtur, quæ nam sit causa immediata Oscitationis, & colligitur antecedens, vel mediata. Mediata humores infra sanguinem sunt siue intra venas, siue in prima regione contenti, vt plerumque contingit à nimio ingesto cibo, vel resistenti coctioni propter frigiditatem excedentem, duritiem, vel aliquam qualitatem coctioni inobedientem redditur calor respectu materiæ impotens, & ita nullo præcedente morbo, sed solummodo à naturæ impotentia resultat illud Synthoma irritata à flatu magno, & denso facultate expultrice. Ita Galenus lib. 2. de Synthomatum causis cap. 1. inter Synthomata, quæ tantummodò à natura violenter mota à causa præter naturam sine morbi alicuius concomitatu Oscitationem adnumerat, in quo affectu sumpta indicatione à cruditatibus medicamento coquente, & postea expurganti vtimur.

(S)

CAP.

CAPVT XLIII.

De Dolore.

POST linguæ affectus, in qua quartus sensus, nēpè gustus, vt in proprio organo existit, restat, vt de tactus affectionibus suo ordine agamus. Si sacram Paginam, quis attentè perlegat, videbit, quod multis in locis loquitur de Dolore, qui non corporis, sed animi Dolorem significat. Et quia in præsenti nobis solum est agere de morbis, & Synthomatibus, hoc est, de morbis, & accidentibus sequentibus morbos; ideò illa non scribo testimonia in quibus de talibus animi perturbationibus, afflictionibus, angustijs, & tristitijs agitur, sed solū illa attingam, in quibus de materiali Dolore, qui vera corporis affectio est, & vera proprissima, & principalissima sensus tactus passio.

Genesis cap. 3. legimus, *in Dolore paries filios.* Et cap. 34. *Et ecce die tertio, quando grauissimus vulnerū Dolor est.* Constat enim, quod tales Dolores parturientium grauissimi sunt, summumque attingunt sensationis dolorificę terminum, & similiter vulnerum Dolores tertio die. Inqui-

Genes. c. 3 ver. 16. Et cap. 34.

P ri-

rimus igitur, quænam ſit cauſa talium grauiſſimorum dolorum, vt poſtea aliquid de formalitate doloris agamus. Circa quod eſt aduertẽdũ, quod dolor Synt. eſt tactus, hoceſt, actio læſſa eſt tactus. Tactus enim ſicuti cęteri ſẽſus, qui à ſuis proprijs obiectis moderatè obijcientibus delectãtur. Triſtantur ſimiliter ab excellẽtibus, & immoderatis, ſicuti cęteri externi ſẽſus. Sẽſus viſus à luce mediocri, & colore moderato, auditus à ſono ſuaui, & ſic de alijs delectãtur, ſicuti ab immodica luce, & à nimia albedine, ſono vehemẽti, & inuſitato afficiũtur, & cõtriſtãtur. Tactus igitur cuius propria obiecta ſunt qualitates tangibiles, ſcilicet, calor, frigiditas, humiditas, & ſiccitas, & aliæ ſecũdæ, vt durities, & aſperitas ab ipſis immutatur, & ab ipſis ſi blandè afficiant, voluptuosè afficitur, & ſi excellentes nimis, & improportionatè cõtriſtatur doloreque afficitur, & ſolutionem continui in parte cauſant viuenti. Vnde aliqui exiſtimant, quod cauſa immediata doloris, ſolutio continuitatis eſt, quia nunquam reperitur dolor, niſi ſolutio continuitatis ſit prior. Qui quidem falluntur, quia ſolutio, vt ſolutio nihil aliud eſt, quam diuiſio, & partium ſeparatio, taliter, vt quod vnũ erat ſit plura. Hoc enim non ſpectat ad rationẽ for-

formalem obiectiuam tactus. Nam sicuti vnio partium non est obiectum tactus, alias esset tactus in continua sensatione. Ita neque solutio vnitatis obiectū tactus poterit esse: Sunt enim qualitates tangibiles, quæ secū afferunt (vt conditio sine qua non) ipsam vnitatis solutionem. Sicuti enim non datur ignefactio, sine approximatione ligni, vel combustibilis ad ignem, & nihilominus approximatio, non est causa principalis combustionis, vel ignitionis, sed solum conditio sine qua non. Ita solutio vnitatis, etiā si in omni dolorum genere inueniatur, non est causa immediata, sed qualitas tangibilis ipsum tactum immutans, & reali alteratione alterans. Quando igitur gladius solutionem continui causat, & in solutione reperitur dolor, hoc est, in parte soluta, solutio solum habet vim conditionis sine qua nō. Durities corporis percutiētis, scilicet, gladij, vel alterius instrumenti est causa immediata doloris, & ita intendūtur dolores ad intensionem causæ, non quod durities gladij intendatur: nam durities instrumenti talis nō variatur in magis, & minus. Variatur etenim sensatio variato impulsu, & violētia applicationis ad tactum, & ita quanto violentior fit solutio, tanto maior, & tanto intēsior fit dolor.

Cum enim instante partu vterus sit clausus multis Fibris, quæ naturalium facultatum sunt instrumenta, & non mouentur libera facultate, sicuti musculi, qui voluntati obedientiam præstant; quia instrumenta facultatis animalis liberè operantis sunt, necessarium est, quod os vteri aperiatur ad exitum fæturæ, talesque fibræ violentiam pariant, & violentia sit maior, quanto impulsus. Cum ergo in partu conceptus, siue puer iam in totam organizationem perfectam, roburque, & vires habeat, ita vt cor ipsius indigeat ad sui attemperationẽ aere externo, propter vsum cordis adauctũ, & paucam aeris quãtitatem, quam à matre recipit ad ipsius cordis attemparationem, quærit ex vtero exitũ, ipsum calcitrat manibus, & pedibus rumpit fibras, & venas vteri capillares exulcerat totum offendit, & dilacerat vterum, taliter vt non per vnicã ipsius vteri partem fiat dolorosus, sed per omnes, & ita dolores sunt in partu, non solum intensi, sed multi, quia pars cum sit plurimorum neruorum composita, ratione quorum maxima sensatione est prædita excellentius percalet molestiam cæteris alijs partibus, & ita dolores partus sunt vehementissimi.

Nec

Nec non etiam vulnerum dolores tertio diè sunt grauissimi. Hoc enim est intelligendum de vulneribus, quibus superuenit fluxio humoris: nam si corpus ita esset optimè temperatum, in quo nulla esset redundantia humoris, vel excessus irritans, nulli dubium erit, quod neq; tertio, neque quarto, neque septimo erit maior dolor, ac dum solutio erat in fieri: quādo verò iam facto est nullus est dolor. Dum corrumpitur natura, dolores fiunt, tenet Hippocr. non ergo quando iam corrupta est. Solutione facta vnitatis iam est corrupta. Igitur dolor fit, quando immutatur à tangibili. Nam immutatur, nisi dum fit solutio. Ergo dum fit solutio, fit dolor. Hoc enim exemplo aliorum sensuum externorum fiet manifestum, & primo de visu. Non fit visio, quando absens est obiectum visiuum, sed dum obijcitur potentiæ; neque auditio fit absente sonu, sed dum durat sonus; neque gustus, & olfactus fiunt, nisi præsente obiecto gustabili, & odorifico. Si autem superveniat fluxio intēditur dolor. Hoc enim Hippoc. libello de fracturis iuxta Galeni diuisionem Com. 3. ita scriptum reliquit. Tertio, & quarto die minimè vulnera sunt exagitanda, & vt in sum̄a dicam, spesilli quoque omnes motiones vitandæ, his die-

bus sunt, omnia quæ alia quibus vulnera irritantur: in totum enim tertius, & quartus dies in plerisque vulneribus exacerbationes parit, & quæ inflammationes & sordes incitantur, & quæcūque in febres tendunt. Vnde magni ad modum momenti, si quod aliud documentum hoc est: nam quæ sunt in medendi arte grauissima, quibus id non sit commune? Non enim pertinet ad vulnera tantum, sed ad alios quoque morbos complures. His verbis Hippocrates satis aperte docet, quod Chirurgi omnem manus operationem, siue specillo, siue alio instrumento efficiant primis diebus, scilicet primo, aut secundo, nam si in tertio, vel quarto die id faciant augebunt dolorē concitando, vel augendo inflāmationē. Natura enim cū vnione desideret, desiderat alimentum, scilicet sanguinem, vt labia vniantur vlceris, attrahitque ad vlcus, & aliæ partes immodicè pellunt conantes ipso sanguine partem vulneratam corroborare, vnde sequitur fluxio, & inflammatio. Hoc enim ferè semper contingit tertio, vel quarto die, & nullam habere febrem, & tertio, vel quarto die, ex humore fluxo concitari febrem, saniemque in vlcere, & sordida fieri vlcera secundum humoris fluxi naturam. Quam quidem sententiam Vallesius.

Iesius cap. 12. suæ sacræ Philosophiæ similiter tenet.

Verumtamen circa naturam doloris offert se quædam dubitatiuncula; constat enim, quod dolor est Synthoma tactus in actione deprauata aucta, vt tract. de affectionibus, siue in S. Philosophia Sacrosancti Corporis Xpi, c. de Circũcisione dixi: Cũ enim dolor formaliter sit Synthoma, & omnes Syntho. sit quid præter naturam, videtur, quod formaliter dolor, vt dolor est, quid præter naturam est: nam in conceptu formali doloris intrat obiectum corrumpens. Actus enim specificãtur ab obiectis adæquatis, vt visiua potentia à colore; sicuti tactiua à tangibili. Ergo quando obiectum est excedens naturã actus naturalis, actus ille non est secundum naturam, sed præter naturam. Cum ergo dolor sit actus appetitus, & non sit, vt talis secundum naturam, & proueniat ab obiecto præter naturam existimandum est, quod vt dolor est, præter naturam est.

At nos existimamus contrarium, nempè quod dolor formaliter, prout in actu fugæ cõsistit, est quid naturale talis appetitus actus, ac est naturalis actus contrarius appetitus, nempè voluptas, Probatur enim Doctrina D. Thomæ

1.2 quæst.25 de tristitia, & ratione. Tristari, & delectari in genere naturæ certum est esse secundum naturam; quia sunt actus vitales prouenientes à principio vitali, nempè ab anima, & ita cõuenit voluntati naturaliter nolitio mali, ac volitio boni, & è contra, sed actus nolitionis, & volitionis sunt secundum naturã. Ergo actus tristitiæ, qui fugæ est, naturalis est animali, sicut actus prosecutionis. Et ex consequenti dolor, vt dolor est, non est quid præter naturam, quatenus scilicet ad appetitum pertinet, in cuius actu fugæ formaliter consistit. Quatenus vero pertinet ad tactum dolor, quia ipsius passio est præter naturam.

CAPVT XXXXIIII.

De Febre.

POST omnes capitis affectus, tam ad sensus internos, quam externos pertinentes, sequitur vt agamus de affectibus cauitatis vitalis, & quia cor cæteris principalius est. Sumimus initium à cordis frequentiori, & magna affectione, quę febris est, quæ Medicis magnum negotium facit adeo vt hominum vulgus opi-

opinetur ad medicos solam ferè febrium curationem pertinere.

In hoc capite non agimus de Febre sicuti solent Medici prolixè. Ita vt plurima circa Febris naturam, & diuisionem perquiramus. Si enim plura de Febre exagitare perquirere voluissemus longa sine dubio fieret pertractatio. Nam apud Medicos circa Febris naturam diuisionē, & causas quam plurima sunt. At quia nobis non est nisi agere tantummodo, de his, quæ secundū verba relata in sacris Litteris pertinētia ad morbos, & alios affectus præter naturam existunt, ideò in præsenti breuem conficiam discursum.

Cap. 27. Deut. hæc sunt verba. *Percutiat te Dominus Febri, & frigore.* Et 8. cap. Matth. *Cum venisset Iesus in domum Petri, vidit Socrum eius iacētem, & febricitantem, tetigit manum eius, & dimisit eum Febris.* Et Actor. 28. *Contingit autem patrem Publij Febribus, & dissenteria vexatum iacere.* Circa hęc tria testimonia nihil inuenio apud expositores, quod alicuius doctrinę sit. Fallūtur equidem in aliquibus, vt Lorinus, qui dyssenteriam exulcerationem intestinorū nō esse dicit. Nihil mirum cum non sit ipsorum, hæc quæ Medica sunt, inquirere. *Deut. c. 27 vers. 22. Matth. c. 8 ver. 14. Acto. c. 28 ver. 8.*

Tria meo videri, ex his tribus locis colligi pos-

possunt. Primum est circa verba, *Febri, & Frigore*. Sunt enim quædam Febres, quæ à Medicis intermittentes appellantur, in quibus Frigus reperitur in principijs accessionum. Hæ enim Febres periculo vacant secundum Hippocra. sect. 3. apho. 43. Quocumque autem modo intermiserit periculo vacat. Nam etiam si ex dictis sint quædam, quæ subintrantes appellantur, quia antequam æger ad infebricitationem perueniat, iam alia de nouo infestatur accessione cum alio (similiter) frigore nouo, ita vt æger nullatenus ad infebricitationem perueniat. Tamen hæ Febres ex sua natura sunt illarum, quæ intermittentes appellantur. Sunt igitur hæ Febres ex humoribus, quæ intra venas incipiunt calefieri, putrefierique, & natura irritata portionem illam irritantem extra vasa pellit, & cum humor ille, siue natura sua calidus, siue quia per putredinem calidus existat acris, & mordax, partesque sentientes tangens feriatque. Molestiam in sensu tactus inducit, quam cum tactus percaleat ipsam, partes actu fugæ euitare conantur & a tali molestia; si possibile esset liberari. Vnde calor influens in parte illa existens ad intra, ad viscera inquam confugit, & accidentaliter defectu, scilicet caloris influentis partes refrigeratæ

tæ manent, & in ipsis (præcipuè in extremis) intensa quædam positiua frigiditas persentitur; quia absente calido innato, qui cæteras mixti exuperat qualitates, spermaticarũ partium natiua, & propria, tunc persentitur frigiditas. Hinc enim fit, quod quo calidior, & mordacior est humor qui extrauasatur maius concitet frigus. Bilis calida & sicca ex sua natura est, vt in febribus tertianis verificatur, nõ Frigus, sed rigorẽ cũ vehementi membrorum in voluntaria concussione concitat. Melancholia autem, & si frigida, si aduratur præ ipsius siccitate vehementes similiter, vt in quartana concitat rigores. Pituita equidem quæ frigida, & humida est perfrigerationem tantummodo simplicem causat, vt in quotidianis experitur. Febres equidem, quæ mixtionem habent duorum humorum (quæ à Medicis nothæ appellantur, siue Febris (v. g.) tertiana sit simplex, quę ad tertium repetit, siue duplex, quæ quotidie cum correspondentia ad tertium) longiores sunt & pertinaces, & difficilis curationis, quia humores miscentur frigidi, crassi & lenti, qui diuturniorem Febrẽ causant, & in istis non reperitur rigor, sed frigus in principijs accessionum.

Vnde existimo, quod quando legimus, *percu-*

cutiat te Dominus Febre, & Frigore, idem est, ac si diceret, percutiat te Dominus tertiana dupl̄ici, quæ febris longa & prolixa est, ita vt medici ægrum veluti incurabilem derelinquant, & experientia est compertum nō solum menses, sed annnos aliquos homines à talibus febribus intermittentibus vexatos, & veluti à manu Domini plagatos fuisse.

Secundum est, quod socrus Petri Febre corripiebatur, & cum relato loco, non dicat simul frigore, existimandum, vel philosophandum est, quod febris illa socri Petri erat illarum, quæ in suis circuitibus, vel accessionibus nullam annototionem, vel perfrigerationem, horrorem, vel rigorem habent. Hæ enim Febres sunt putridæ, sicut intermittentes dictæ, & cōtinuæ appellātur; quia humor nullatenus extra vasa pellitur, sed intra venas putrefit, & ad focum putredinis; qui est locus, vbi primæ dispositiones putredinis humoribus introducuntur; ita vt pro diuersis portionibus diuersa fiant incrementa magnæ, vel paruæ durationis, secundum quantitatem humoris ad focum fluentis, quarum febrium diuersæ sunt speties. Si enim sanguis solum eferuescat absque eo quod putrefiat, Febre ræ concitat synocum sine putredine. Si autem

putrefiat, vel ſimul cum ſanguine tota maſſa ſanguinaria Febrem efficit, vocatam ſynochum cum putredine, cuius Febris tres ſunt ſpecies: Quædam ſunt accreſcentes, quia à principio, vſque ad finem creſcunt; quædam decreſcentes, quæ à principio vſque ad finem decreſcunt, & quædam eundem ſemper ſeruant tenorem. Si autem bilis putreſcat intra venas, tertianam concitat vnicam, vel duplicem continuam, & idem intelligendum eſt de pituita ad formandam quotidianam, & de melancholia ad formandam quartanam continuam. Hæ enim Febres magni ſunt periculi, quia cum continuò affligatur æger, nullus remanet reſpirationis tempus. Similiter ſpiritus vitales, ex cauſa interna, vel externa immodicè accenduntur, & ex ipſorum incendio Febris quædam conſurgit diaria: quia eius duratio ſpacium vnius diei eſt. De hac enim exiſtimo (quia nullius periculi eſt) non fuiſſe circa Socrum Petri factum ſermonem. At poſſunt ita accendi ſpiritus, vt vltra diei ſpatiũ Febris duret, & hęc Febris ſimiliter diaria appellatur, quia in ſpiritibus (ſicuti altera) ſubiectatur, & ad plurimos dies multoties ſe extendit eius duratio, vt in Febribus accidentalibus ortis ex inflammationibus experimur.

mur. Cum autem nulla facta fuerit mentio de inflammatione, vel de alio affectu, nisi de ipsa Febre, similiter philosophare quis poterit non fuisse Matthæum locutum de talibus Febribus spirituosis. Aliquis dicet intelligi posse de Febre hectica, quæ magna Febris est, & cõtinuò affligit. Febris enim hectica (sicuti putrida calorem habet in facto esse in humoribus, & diaria in spiritibus) habet suum calorem in partibus solidis, hoc est, in partibus viuentibus independentem à causa (vt communis tenet Medicorũ schola, & inter ipsos Benedictus Matamoros, qui de Febribus tractatum doctum, & particularem scripsit) ita vt calor admodum habitus, qui difficilè est mobilis à subiecto remoueatur. Vndè hectica difficilè sanatur; nam cum calor sit agens in actu, & celeris motus; frigiditas vero, & humiditas sint in potentia, nam corpori medijs alimentis, & medicamentis applicantur; hinc est: quod nunquã hecticus, qui verè hecticus est, siue in prima, secunda, vel tertia spetie, quæ marasmus torridus appellatur, ita substantificè, & qualitatiuè possit reduci, ac antea. Vndè ætates incurabiles sunt, & tandem mors. Nullam inuenio repugnantiam ad hoc vt Febris, de qua Euan-

Euangelista loquitur non posset esse hectica.

Tertium est patrem Publij Febribus, & dyssenteria vexatū iacere. Dyssenteria vlcus est intestinorum (vt proprio capite de dissenteria constabit.) Tale autem vlcus aliquando est accidens sequens ipsam Febrem, hoc est, caussatum à materia Febrili, & aliquando Febris est accidens ipsius dyssenteriæ. Contingit etenim multoties in principijs morborum, & in cæteris vniuersalibus morbi temporibus humorem nimis naturam irritare, ita vt per aluum sit necessarium foras pellatur, & mordacitate, & acrimonia tunicam intestinorum internam corroit, & vlcerat, ita vt semper, & quoties talis humor moueatur dolores, & tormina vehementia concitet. Tunc enim dyssenteria accidens est ipsius febris. At quando nulla præcedente Febre confluit humor mordax ad ventrem, & intestina exulcerat, ex vlceribus, & inflammatione caussata in intestinis vlceratis febris concitatur, quæ accidens est ipsius dyssenteriæ, & cessante fluxione, cessat dyssenteria, & cessante dyssenteria cessat febris, quæ de natura diariarum est: nam materia in qua subiectatur, spiritus vitales sunt, qui cum nimis

mis calefcunt, ipfum valent calfacere cor. Vnde tam in diaria putrida, quam hectica Febre (quæ funt tres vniuerfalifsimæ febris fpecies) pars affecta eft ipfum cor. Non enim poteft dari Febris diaria, quin calor in facto effe in fpiritibus fubiectetur, neque putrida quin in humoribus, neque hectica quin in parte folida fubftantiæ cordis. Et ita communi, ac generali diffinitione recepta à Medicorum Schola Febris definitur? *Eft calor extraneus accenfus in corde, & procedens ab eo medio fanguine, & fpiritu per totum corpus communicatus.* Circa quam definitionem plurimæ oriuntur difficultates, quæ à Medicis exagitantur; nobis autem fufficit pro narratis in facris Litteris dictum circa Febrem.

CAP.

CAPVT XXXXV.

De Anxijs Cordis.

ANXIETAS à Græcis Alycæ dicitur. Et Galen. Com. 7. aphor. ait, quod ſanis & ægris conuenit. Anxiantur ſani, quando præſentibus moleſtantur, & ab vno negotio, vel actione ad aliam tranſeunt. Ægros Anxios dicimus, quando iacendi figuram euariant, quia ſemper præſens agrauat eos. Hoc præcipuè eſt, quando in ventriculi ore humoris copia fluctuat: & ita in ſpurijs, fol. 107. commendat Mirabolanos, Kebulos, & Emblicos ad Anxietatem, & magnum eſſe ſecretum refert. Nihil cõmunius dicitur, quam cũ quis affligitur à magnis, & vehemẽtiſsimis, malignis, aut venenoſis morbis, aut animi paſsionibus Cor Anxijs opprimi, & affligi. Sic enim 4. lib. Eſdræ c. 6. quãdo loquebatur Propheta cum Altiſsimo dicit. *Lib. 4. Eſd. c. 6. ver. 37* *Inflãmatur enim ſpiritus meus valdè, & anima mea Anxiabatur.* Quando ſpiritus inflammantur, vt in diarijs contingit febribus, maximopere ægri Anxiantur, ita vt pro viribus naturæ ferè impoſſibile videatur, quod tot tempus illas febres, ex

Q ſpi-

ſpiritibus accenſis tollerare poſsint: & ita tempore quo durant, magnas inducunt Anxietates & præcipuè in magno animi feruore, vt quando cum Altiſsimo loquebatur Propheta. Id ipſum poſſumus intelligere, quando Rex Propheta Pſalm. 60. ita ait. *A finibus terræ ad te clamavi, dum Anxiebatur cor meum.* Et Pſal. 142. *Collocauit me in obſcuris ſicut mortuos ſæculi, & Anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatũ eſt cor meũ.* Dicta teſtimonia expoſitores de vera, & reali cordis Anxietate intelligunt.

Pſalm. 60. verſ. 4.
Pſalm. 142 verſ. 4.

Hoc nomen Anxietas propriè vſurpatur, & dicitur de corde. Nam etiamſi verum ſit alias in corpore reperiri partes principes], vt cerebrum, & iecur, & partes nobiles propter ipſarum nobilem vſum neceſſarium, vt ventriculus, & in ipſis poſſe Anxietates fieri, nihilominus dicitur de corde, quod fons, & origo eſt vitæ, & vt vitę principium in animi, & corporis affectibus ad ipſum confluunt ſanguis & ſpiritus, & ipſum valent opprimere, ita vt videatur aliquando viuẽs in agonia conſtitutum, hoc eſt, vltimũ vitæ terminum attingere. Vndè in ratione magis & minus differunt Anxietas & agonia: nã omnis agonia eſt Anxietas, non verò è contra, omnis Anxietas eſt agonia: nam Anxietas ſolum ſe exten-

dit

dit ad quamcumque cordis afflictionem; ago-
nia vero ad extremam vitæ partem.

Anxietas duobus existimo posse fieri modis, vel per suffocationem, vel per resolutionẽ. Per suffocationem fit, quando nimia humorum, vel vaporum quantitas ipsum opprimit cor, ita vt dilatari pro vsu adaucto non possit: vndè insufficiẽter eius attemperatio fit. Hoc enim in principijs vniuersalibus febrium, nec non in principijs accessionum, vel incrementorum contingit.

Ex resolutione similiter Anxietas contingit quando ex vehementi spiritum incendio nimis attenuantur, & attenuati resolvũtur, vt in febribus magnis ardentibus, & malignis contingit. Nam ille spiritus exhalant, & iste qualitate maligna, quæ vitalitati (in spiritibus vitalibus existenti) opponitur, ipsos coorrumpit. In illis qui facta sanguinis magna detractione animi deliquio apprehenduntur, Anxietas sequitur, & talem Anxietatẽ, Galen. citat. loco Com. 7. apho. 56. consulit curandam esse vino generoso. Nã cum vinum omnium citissimè nutriat, pars tenuior in substantiam spirituosam transit: & sic experimento est compertum, quod in animi deliquijs, nihil citius, & promptius vino vires restaurat Gal. lib. 3. de Hipp. & Plat. decretis c. 7.

CAPVT XLVI.

De Contagio.

VT illa, quæ in ſequentibus Capitibus dicturi ſumus de Peſte, facilius intelligantur, prius agimus de Contagio, quod nõ eſt morbus, neque morbi affectus. Eſt enim modus, quo corpora morbi afficere ſolent, & quia ſunt aliqui increduli de Contagio, & experientiæ ſimiliter aduerſantur, legant cap. 19. Num. *Aſperget ex eo omne tentorium, & cunctam ſupellectilem, & homines huiuſcemodi Cõtagione pollutos.* De quo apud Expoſitores, nulla eſt dubitandi ratio, imò manifeſtè conſtat dari Contagium, atque aſpergenda eſſe veſtimenta, & ab hominibus affectis Contagio ſe cauendum, fugiendũque eſſe: & ita nihil agam, circa an ſit Contagium, vt ſolent increduli, ſed circa naturam Cõtagij & modis quibus fit. *Num. 19. ver. 28.*

Diffinitur igitur Contagium à Hieronymo Fracaſtoreo lib. 1. de Contagione cap. 1. hoc modo: eſt conſimilis quædam mixti ſecundum ſubſtantiam corruptionem, de vno in aliud tranſeuntem infectione in particulis inſenſibilibus pri-

primo facta. Hæc definitio ab omnibus Medicis amplectitur, quia in illa exactè tota natura Cõtagionis explanatur. Quod fit cõsimilis est certũ, nam nõ dicetur Contagiosus morbus, sed alius quia vero similem producit, Contagiosum appellamus. Quod fit secundũ substantiam, etiam est certum. Non enim, quia quis calefiat à Sole, vel ab igne, vel frigescat ab aere, vel niue dicitur Contagium; illud enim productio similis qualitatis est per alterationem facta. Contagiũ, autem & si fiat media alteratione, non fit nisi corrumpatur substantia: & sunt diuersi morbi Contagiosi, quia sunt diuersæ substantiæ, quæ putrefieri solent, & diuersimodi putrefaciendi. Non enim ex quacumq; putrefactione fit Cõtagium: nam quartana febris, tertiana, & cæteri quam plures morbi in putrefactione substantiæ humoralis (in qua subiectantur) consistunt, & tamen non fiunt Contagiosi, nisi ipsis adiũgatur modus putrefactionis necessarius ad Cõtagionem: & ita ad intensionem talis modi augetur Contagium. Quidam enim morbi contagiores sunt alijs, vt pestis, lepra, pthysis, & alij huiusmodi. Hoc est intelligendum quantum se tenet ex parte ipsorum morborum, nõ vero ex parte dispositionis; quæ quidẽ dispositio sym-

pa-

pathia significatur, & contrarium antipathia. Si enim reperitur sympathia (v.g.) ad scabiem, in subiecto potius introducitur scabies, quàm alius morbus, etiam, si ex Contagiosis minimũ teneat locũ. Sicuti è contra, si est antipathia ad scabiẽ, & subiectũ est ad aliũ morbũ dispositum (v.g. ad pestiferæ febris introductionẽ) consistit enim sympathia in quodã occulto cõsensu, siue in quadã occulta qualitate; sicuti antipathia in quodã occulto dissensu, siue in quadam occulta repugnãtia. Occultũ enim est nobis, quãdo cognoscimus effectum, & nõ cognoscimus primariam, siue præcipuam causam ipsius. Magnes enim attrahit ferrum. (cui experimento nemo aduersatur) & tamen à qua qualitate, vel virtute trahente fiat hucusque nõ constat. Et Agnus Lupũ fugit: quarum rerum sunt infinita exempla, & de ipsis sunt quam plurimi tractatus variorum Auctorum, qui in philosophandis dictis causis ingeniosè scripserunt, & ad sympathiam, vel antipathiam ferè omnes reducunt. Sic enim fiat Cõtagiũ, hoc vel illo modo propter sympathiam tenemus contingere.

Dubitari poterit in præsenti, quibus modis fiat Contagium. Fracastoreus, qui de hac re excellentius scripsit, & plures alij cum ipso dicũt fieri tribus modis. Primo per contactum, secũ-

do per fomitem,& tertio ad distans,quem modum virtualem aliqui appellant. Contagiũ per contactum est, quando duo corpora se tangũt, vt quando Pomum putridum inficit alterũ per contactũ. Per fomitem contingit, quãdo relinquitur virtus in vestibus, & alijs rebus, quibus qualitas malefica conseruari potest. Ad distans fit, quando aere intermedio contagiosa virtus subiecto communicatur,vt in variolis, morbilis,puncticularibus febribus,& alijs huiusmodi morbis verificatur.

Circa quod est difficultas (cuius resolutio erit breuis) an omnis Contagio per contactum sit potens relinquere fomitem,& ad distans causare effectum? An vero è contra,quę contagiosa sunt ad distans,sint ad fomitem, & contactum, & quæ ad fomitem ad contactum?

Constat enim quod Pestis, quæ medio aere infecto communicatur,non solum hoc modo est contagiosa, verum per fomitem; nam vestes sunt spargendæ,pellendæque,& non solum vestes,verum corpora tangere infecta periculosum est;non vero è contra ita contingit. Et ratio est,vt Fracastoreus tenet. Nam ad Contagium per fomitem,& ad distans est necessariũ, quod corpora ex se mittant aliquid, siue sit va-

por.

por, siue fuligo, siue aer, siue aliud quidquam, quod secum virtutem maleficam ferat, & glutinosum, lentoremque habeat, vt adhæreat. Et quia sunt aliqua corpora, quę etiam si transpirabilia talem substantiā glutinosam non mittunt, hinc est, quod nō sint talia corpora infecta cōtagiosa, nisi per contactum.

Verumtamen intendam probare non dari Contagium per contactum verum, sed omnem Contagionem esse per fomitem, & ad distās. Si daretur contactus quantitatiuus, maximè, quia inter vnā, & alterā superficie nihil mediaret, taliter vt vltimæ superficies sint in eodē spatio penetratę, & indiuisibile indiuisibili, sicut pars parti correspōderet: nā aliàs si aliquid mediat, vt (v. g.) aer non erit verus cōtactus Mathematicus. Sed hoc nō est dicendū, cū impenetrabilitas sit proprietas quantitatis: Ergo dicendum est (si aliquid mediat) quod non datur contactus quātitatiuus, & ex consequenti, quod omnę Contagium fit per fomitem, & ad distans.

(†)

CAP.

ſpiritibus accenſis tollerare poſsint: & ita tempore quo durant, magnas inducunt Anxietates & præcipuè in magno animi feruore, vt quando cum Altiſsimo loquebatur Propheta. Id ipſum poſſumus intelligere, quando Rex Propheta Pſalm. 60. ita ait. *A finibus terræ ad te clamaui, dum Anxiebatur cor meum.* Et Pſal. 142. *Collocauit me in obſcuris ſicut mortuos ſæculi, & Anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatũ eſt cor meũ.* Dicta teſtimonia expoſitores de vera, & reali cordis Anxietate intelligunt.

Pſalm. 60. verſ. 4.
Pſalm. 142 verſ. 4.

Hoc nomen Anxietas propriè vſurpatur, & dicitur de corde. Nam etiamſi verum ſit alias in corpore reperiri partes principes, vt cerebrum, & iecur, & partes nobiles propter ipſarum nobilem vſum neceſſarium, vt ventriculus, & in ipſis poſſe Anxietates fieri, nihilominus dicitur de corde, quod fons, & origo eſt vitæ, & vt vitę principium in animi, & corporis affectibus ad ipſum confluunt ſanguis & ſpiritus, & ipſum valent opprimere, ita vt videatur aliquando viuẽs in agonia conſtitutum, hoc eſt, vltimũ vitæ terminum attingere. Vndè in ratione magis & minus differunt Anxietas & agonia: nã omnis agonia eſt Anxietas, non verò è contra, omnis Anxietas eſt agonia: nam Anxietas ſolum ſe extendit

dit ad quamcumque cordis afflictionem; agonia vero ad extremam vitæ partem.

Anxietas duobus existimo posse fieri modis, vel per suffocationem, vel per resolutionē. Per suffocationem fit, quando nimia humorum, vel vaporum quantitas ipsum opprimit cor, ita vt dilatari pro vsu adaucto non posit: vndè insufficiēter eius attemperatio fit. Hoc enim in principijs vniuersalibus febrium, nec non in principijs accesionum, vel incrementorum contingit.

Ex resolutione similiter Anxietas contingit quando ex vehementi spiritum incendio nimis attenuantur, & attenuati resolvūtur, vt in febribus magnis ardentibus, & malignis contingit. Nam ille spiritus exhalant, & iste qualitate maligna, quæ vitalitati (in spiritibus vitalibus existenti) opponitur, ipsos coorrumpit. In illis qui facta sanguinis magna detractione animi deliquio apprehenduntur, Anxietas sequitur, & talem Anxietatē, Galen. citat. loco Com. 7. apho. 56. consulit curandam esse vino generoso. Nā cum vinum omnium citisime nutriat, pars tenuior in substantiam spirituosam transit: & sic experimento est compertum, quod in animi deliquijs, nihil citius, & promptius vino vires restaurat Gal. lib. 3. de Hipp. & Plat. decretis c. 7.

CAPVT XLVI.

De Contagio.

VT illa, quæ in ſequentibus Capitibus dicturi ſumus de Peſte, facilius intelligantur, prius agimus de Contagio, quod nõ eſt morbus, neque morbi affectus. Eſt enim modus, quo corpora morbi afficere ſolent, & quia ſunt aliqui increduli de Contagio, & experientiæ ſimiliter aduerſantur, legant cap. 19. Num. *Aſperget ex eo omne tentorium, & cunctam ſupellectilem, & homines huiuſcemodi Cõtagione pollutos.* De quo apud Expoſitores, nulla eſt dubitandi ratio, imò manifeſtè conſtat dari Contagium, atque aſpergenda eſſe veſtimenta, & ab hominibus affectis Contagio ſe cauendum, fugiendũque eſſe: & ita nihil agam, circa an ſit Contagium, vt ſolent increduli, ſed circa naturam Cõtagij & modis quibus fit. *Num. 19. ver. 28.*

Diffinitur igitur Contagium à Hieronymo Fracaſtoreo lib. 1. de Contagione cap. 1. hoc modo: eſt conſimilis quædam mixti ſecundum ſubſtantiam corruptionem, de vno in aliud trãſeuntem infectione in particulis inſenſibilibus

primo facta. Hæc definitio ab omnibus Medicis amplectitur, quia in illa exactè tota natura Cõtagionis explanatur. Quod fit cõsimilis est certũ, nam nõ dicetur Contagiosus morbus, sed alius quia vero similem producit, Contagiosum appellamus. Quod fit secundũ substantiam, etiam est certum. Non enim, quia quis calefiat à Sole, vel ab igne, vel frigescat ab aere, vel niue dicitur Contagium; illud enim productio similis qualitatis est per alterationem facta. Contagiũ, autem & si fiat media alteratione; non fit nisi corrumpatur substantia: & sunt diuersi morbi Contagiosi, quia sunt diuersæ substantiæ, quæ putrefieri solent, & diuersi modi putrefaciendi. Non enim ex quacumq; putrefactione fit Cõtagium: nam quartana febris, tertiana, & cæteri quam plures morbi in putrefactione substantiæ humoralis (in qua subiectantur) consistunt, & tamen non fiunt Contagiosi, nisi ipsis adiũgatur modus putrefactionis necessarius ad Cõtagionem: & ita ad intensionem talis modi augetur Contagium. Quidam enim morbi contagiores sunt alijs, vt pestis, lepra, pthysis, & alij huiusmodi. Hoc est intelligendum quantum se tenet ex parte ipsorum morborum; nõ vero ex parte dispositionis; quæ quidẽ dispositio sym-

pa-

pathia significatur, & contrarium antipathia. Si enim reperitur sympathia (v.g.) ad scabiem, in subiecto potius introducitur scabies, quàm alius morbus, etiam, si ex Contagiosis minimũ teneat locũ. Sicuti è contra, si est antipathia ad scabiẽ, & subiectũ est ad aliũ morbũ dispositum (v.g. ad pestiferæ febris introductionẽ) consistit enim sympathia in quodã occulto cõsensu, siue in quadã occulta qualitate; sicuti antipathia in quodã occulta dissensu, siue in quadam occulta repugnãtia. Occultũ enim est nobis, quãdo cognoscimus effectum, & nõ cognoscimus primariam, siue præcipuam causam ipsius. Magnes enim attrahit ferrum. (cui experimento nemo aduersatur) & tamen à qua qualitate, vel virtute trahente fiat hucusque nõ constat. Et Agnus Lupũ fugit: quarum rerum sunt infinita exempla, & de ipsis sunt quamplurimi tractatus variorum Auctorum, qui in philosophandis dictis causis ingeniosè scripserunt, & ad sympathiam, vel antipathiam ferè omnes reducunt. Sic enim fiat Cõtagiũ, hoc vel illo modo propter sympathiam tenemus contingere.

Dubitari poterit in præsenti, quibus modis fiat Contagium. Fracastoreus, qui de hac re excellentius scripsit, & plures alij cum ipso dicũt fieri tribus modis. Primo per contactum, secũ-

por, siue fuligo, siue aer, siue aliud quidquam, quod secum virtutem maleficam ferat, & glutinosum, lentoremque habeat, vt adhæreat. Et quia sunt aliqua corpora, quę etiam si transpirabilia talem substantiā glutinosam non mittunt, hinc est, quod nō sint talia corpora infecta cōtagiosa, nisi per contactum.

Verumtamen intendam probare non dari Contagium per contactum verum, sed omnem Contagionem esse per fomitem, & ad distās. Si daretur contactus quantitatiuus, maximè, quia inter vnā, & alterā superficie nihil mediaret, taliter vt vltimæ superficies sint in eodē spatio penetratę, & indiuisibile indiuisibili, sicut pars parti correspōderet: nā aliàs si aliquid mediat, vt (v. g.) aer non erit verus cōtactus Mathematicus. Sed hoc nō est dicendū, cū impenetrabilitas sit proprietas quantitatis: Ergo dicendum est (si aliquid mediat) quod non datur contactus quātitatiuus, & ex consequenti, quod omnę Contagium fit per fomitem, & ad distans.

(†)

CAP.

CAPVT XXXXVII.

De Peste.

PRO maiori intelligentia prius egimus de Cōtagio, quam de Peste: nam non omne, quod contagiosum est, Pestilens est, bene tamen omne quod Pestilens est, contagiosum est. Et non est intentio agere, vt solent Medici de Peste, nam ferè innumeri sunt Authores, qui de ipsa agunt, neque an detur Pestis disputare. In cuius confirmationem infinita ferè sunt te-
Exo. cap. 5. vers. 3. stimonia sacra, quibus id constat, vt Exod. c. 5. *Ne fortè accidat nobis Pestis, aut Gladius.* De quo
Lib. 4. c. 15. ver. 4 loco Expositores intelligunt, ne Peste nos feriat Deus. 4. Esdræ cap. 15. *Immittam tibi mala, viduitatem, paupertatem & famem, & gladium, & Pestem.*
Eze. cap 5. ver. 12. Et Ezech. cap. 5. *Tertia pars tui Peste morietur.*
Ier. cap. 14 vers. 12. Ierem. cap. 14. *Non suscipiam ea, quoniam gladio fame, & Peste consumam eos.* Et alia multa: Et ita circa an sit, non est immoderandum, imò multoties prædicitur à Medicis ex tempestatibus insalubribus, putrefactione corporum multorum inanimatorum, multiplici rerum putrescentia, aquarum fœtore, vestium tinea, vinorum acces-

accescentia,& animalculorum, quæ putredine generantur magno proventu: vestes vero & ligna, atq; adeò & parietes, aeris alterationes sentire, res est notissima. Nam flante Austro hæc omnia putrescũt, Aquilone à putredine liberãtur, vt latè Valles. in cap. 19. & 30. sacræ Philosophiæ.

Pestis igitur definitur communiter hac ratione: est morbus cordis à tota substantia contagiosus plurimos afficiens, & omnes ferè interficiens ab aeris infectione à putredine orta. Hæc definitio videtur, quod comprehendit omnia, quæ in Peste inueniuntur, & ita ex ipsius declaratione notior fiet. Particula morbus, vt genus ponitur ad differentiam aliarum affectionum, quæ nostrum afficiunt corpus. Particula cordis, non solum denotat, quod ipsum cor est pars præcipua in Peste affectis, quæ apprehenditur, sed quod etiam si cæteræ corporis partes malè afficiantur, non erit verè & realiter Pestis, nisi dispositiuè (quando aliqua corporis pars est inflammata, non est febris vsquequo cor à vaporibus eleuatis, vel spiritibus accensis præter naturam calescat) donec cor afficiatur à qualitate à tota substantia, ita vt medicamenta, quæ applicantur (præter qualitates primas & cæteras

manifestas) sint veneno opposita naturali antipathia, quæ indicibilis est. Nã illa qualitas, quæ occulta à nobis est à tota mixti substãtia resultare videtur, & ita medicamenta cardiaca præter facultatem, quam habent attemperãdi, siue refrigerando, vel calefaciendo, virtutem similiter optinent sympathia quadam, non solum corroborandi cor, sed expellendi qualitatẽ quadam viuificatiua qualitatem deleteriam, maleficam, & venenosam, quæ principijs vitæ opponitur. Vndè cum cor ita maximè afficiatur, & continuo compressionis motu cordis, & arteriarum expellantur fuligines maleficæ, præcipuè per respirationem similem per contagium introducunt morbum in corporibus, quibus parua, vel nulla contrarietas (imò dispositio) inuenitur; & ita de necessitate Pestis est morbus contagiosus plurimos afficiens; quia cum respiratio sit simpliciter necessaria, necessarium est, quod homines, qui aerem maligna qualitate præditum, respirent, afficiantur Pestilenter, & quod ferè omnes interficiat. Nam Sympthomata Pestilentia præterquã, quod pro sua multitudine sunt irreparabilia, propter multitudinem partium Cæssarum, diuersorumque temperamentorum, diuersarumque proprietatum, & alia-

& aliarum conditionum, quæ iudicatione curatiua comprehenduntur. Non potest Medicus simul omnia comprehendere, & æquare Medicamentis. Sunt sæua lethalia Synthomata vires exoluentia, ita vt plus multum destruant, & corrumpant subiectum, ac medicamentis, & alimentis reparatur, & ita illorum, quos Pestis apprehendit plurimos interficit. Hoc enim ab aeris infectione à putredine orta nasci est necessarium. Constat enim quod Pestis nō hyeme, & alijs anni temporibus viget. Hyems enim frigida est, & vigēte frigiditate omnia concrescunt, minimè exhalātur, quod è contra in alijs tēporibus vigente calore, plus minusvè contingunt. Nam sicuti frigiditas incarcerat, caliditas expādit, flores gratos, vel ingratos odores suis temporibus expandunt, & hyeme veluti in terræ visceribus abscunduntur. Putrescūt, igitur omnia calore, frigore à putredine præseruantur, vel liberantur. Vnde Aristoteles putredinem sic definit. Est interitus caloris natiui à calore externo in vnoquoque humido: non enim illa, quæ sicca, vel naturæ terræ sunt, vel lapide putrescūt, sed illa quæ humiditatem continent; nam in genere causæ materialis concurrit humiditas, tam in putredine, quam in coctione quæ priuatiuè oppo-

opponuntur, & ita Pestis cum includat contagium, ad hoc vt ex vno corpore in aliud migretur, simili modo necessum est, vt ex putredine ducat originem, vt ex interfectis cadaueribus in magnis prælijs, & debellationibus, tum & etiã ex lacunis, & alijs locis valde humidis, & vaporosis contingit. Aer recipit, vel in ipso imprimitur qualitas ipsa putredinalis, non solum putredinalis, vt sic, sed maligna propter particularem modum putredinis indicibilem, & minus inexplicabilem, qua quidem qualitate, cum aerẽ ad vitæ necessarium respirent viuentia, necessarium est, vt statim ac ipsum valet, cor alterat loco perfrigerationis ipsum alteret, & corrumpat; quia talis Pestilens qualitas admodum veneni dispositionibus vitæ conseruatiuis directè opponitur.

Videtur enim (etiam si breuiter) sufficienter esse descriptam Pestis naturã. Et si aliquis multa desiderat, videat circa hãc rem Authores. Ad nos in præsenti attinet explicare, an ad Pestem necessariò infectio medio aere requiratur. Nam anno præterito 1637. in ciuitate Malachẽsi fuit magnus gentium interitus ex prauis alimentis, præcipuè tritico putrido (vt cõmunis fuit opinio) & cum magna, & vehementi contagione, ita

ita vt sicuti in vera Peste ciuitates custodiuntur, custodiretur ipsa ciuitas, & populi & ciuitates circumvecinæ propter Pestis timorem. Aliqui fuerunt non parum momenti Medici, qui non Pestem, sed Pestilentialem Epidemiam fuisse dixere. Nam quamuis sit verum, quod omnis Pestis est Pestilentia; non tamen omnis Pestilentia est Pestis: nam plurimi sunt morbi cõtagiosi, periculosi, & lethales, qui sunt Pestilentes, nõ tamen etiã si epidemici, & populares sunt Pestis. Nam febris puncticularis (vulgò *Tabardillo*, & anginosus morbus vulgò *Garrotillo*,) & alij huiusmodi Pestilentes sunt, nõ tamen dicimus esse Pestem, etiam si plurimi ex illis pereant; quia nõ ab aeris infectione, quæ non solum est causa cõmunis, vt praua alimenta respectu alicuius ciuitatis, sed vniuersalis. Hoc enim deduci videtur posse, ex Leuit. c. 26. *Cumque confugeritis in verbis mittam Pestilentiam in medio vestri.* Ac si diceret, quod mittet morbum aliquem Pestilentẽ, vt illos illarum afficeret vrbium, non vero alijs; ac quando aeris corruptione Pestis oritur. *Leu. c. 26. ver. 25.*

CAP.

CAPVT XLVIII.

De Tabe, vel Phtysi.

2. lib. Par. cap. 21. ver 19. LIB. 2. Paralip. cap. 21. de Tabe hæc sunt verba. *Cumque diei succederet dies, & temporum spatia voluerentur, duorum annorum expletus est circulus, & sic longa consumptus Tabe, ita vt agereret etiam viscera sua langore pariter, & vita caruit, mortuusque est in infirmitate pessima.* Esaia.
Isai. c. 13. ver. 2. cap. 13. *Et omne cor hominis contabescet*, Ezech. c. 4.
Eze. cap. 4. vers. 17. *Vt deficientibus pane, & aqua corruat vnusquisque ad fratrem suum, & contabescat in iniquitatibus suis.* Hic enim sumitur Tabes pro animi afflictione, vel tribulatione, vt Lyra, & Maldonatus, Za-
Zach. 14. ver. 12. ch. cap. 14. *Et hæc erit plaga, qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ pugnauerunt aduersus Hierusalem. Tabescet caro vnusquisque stantis super pedes suos, & oculi eius contabescent in foraminibus suis, & linguæ eorum contabescent in ore suo.*

Primum, quod ex his locis colligitur est, quod Tabes cronica, siue longa infirmitas est: nam duorum annorum expletus fuit circulus. Secundum est, quod Tabes pessima infirmitas est. Tertium, quod cor hominis apprehendit.

Quar-

Quartum, quod ex defectu cibi, & potus, hoc est, panis & aquæ, fit tabes. Quintum quod est morbus plagans gentes. Et sextum quod caro est pars, quæ primario afficitur.

Primum enim constat ex natura tabis, quam præscribit Galenus 1. Epidemion. part. 2. com. 13. Corporis extenuationem, vel maciem significat, siue defectu alimenti, siue a febri hectica, siue a vulnere pulmonis proueniat. Frequentius vsurpatur a Medicis (vt videre est apud Vallesiũ cap. 40. suæ sacræ Philosophiæ) pro extenuatione, quæ ab vlcere pulmonis ortũ habet. Itaque contabescere, idem est, quod in tabem cõuerti, & tabes quòd cõsumi, vel extenuari, & extenuari, quòd dissolui, & dissolui quod diminutè nutriri propter calidam intemperiem exhalantẽ, ita vt sit multo maior substantifica cõsumptio, quàm alimenti reparatio. Hoc enim vt in omnibus corporis partibus contingat (vt in vera tabe contingit) est necessarium, quod causa exoluens, nempe calor, sit continuò affligens, adhærens, & permanens, vt in illis qui tabidi sunt a febre hectica, in qua per modũ habitus calor corpori adhæret. Vnde constat quod non est morbus acutus, sed longus; durat enim vsque ad vltimam humidi radicalis consumptionem. E-

xẽplo lucernæ fit manifestum. Extinguitur vel moritur ad olei defectum vel, consumptionem, & ita variata actiuitate causæ dissoluentis, & humidi radicalis copiæ, fit plus, vel minus longa tabes.

Secundum est, quod pessima infirmitas est, quod est dicere ferè incurabilis, siue fere nullus est tabidus, qui sanetur, & ad pristinam reducatur salutem. Et ratio est: nam tabes in principio est dificilis cognitionis; quando vero cognoscitur est difficilis curationis. In principio extenuatio, quæ reperitur, potest ab alijs causis citra tabem prouenire. Tabes enim nõ habet signa passonomonica, & inseparabilia. Quando autem Medicus cognoscit tabem, tũc iam tempus est sufficiens transactum, vt etiã si Medicus vtatur, quibus valde substantificè æger reparetur, & humectetur, vt lac, balnea, & alia huiusmodi, non est possibile tabidum reducere; quia non solum reperitur tunc consumptio humorũ spirituum, & roris per totum corpus sparsi, sed ipsius met humidi radicalis in omnibus existentis partibus corporis a principijs generationis, a semine scilicet, & sanguine materno, & cum non sit aliud simile ex quo fiat per nutritionem restauratio, hinc est quod tabes sit curatu difficilis, siue pessima infirmitas.

Ter-

Tertium est quod cor hominis apprehẽdit. Hoc enim est certum: nam quamuis quodlibet corporis membrum, vt brachium, vel crus possunt extenuari non est vera tabes. Vocatur enim marcor (vt cap. sequenti constabit) lato modo tabes appellatur. Propriè tabes est, quando cor afficit, ita vt sicuti partes externę extenuantur secundum trinam dimentionem, longitudinem, latitudinem, & profunditatem, ita cor extenuetur, ita vt cæteris corporis partibus non mittat tot spirituum vitalium copiam, quæ partes viuificare, & corpus totũ lætificare valeat, imo cor generat malos spiritus quodam malo sigillo, mala inquam qualitate, quam in viventis partibus introducit. Vnde est necessariũ, quod tractu temporis æger pereat: non enim periret, si incolume esset cor, etiam si totũ corpus esset afectũ.

Quartum est quod contingit tabes ex defectu cibi, & potus. Hoc enim est intelligendum hoc modo: non quod ex fame pereat æger tabidus: nam ex fame (quidquid dicant Historiæ) vltra septimum diem nemo progreditur. Hippocrates vitam hominis septem dierum esse dixit. Sed quod etiã si cibum capiat, & bibat, nutriatur, ita diminutè, ac si ferè cibum, & potum non caperet. Et ratio est, quia obstruuntur, clau

duntur,& obturantur meatus,vel venæ, vt nullatenus vel parum posit chylus,qui in ventriculo elaboratus ex alimēto fuit vel sanguis,qui in hepate genitus fuit ad cor nutriendum, & cæteras corporis partes permeare, vt illis contingit, quibus insufficienter bibunt, & comedunt,& commoriuntur, & vocatur à Medicis Atrophia talis ex tali causa extenuatio. Hoc experimur in puellis virginibus, & mulieribus quæ fame præternaturam apprehensis, scilicet picea, gypriū,carbones,& alià huiusmodi meatus claudentia comedunt. Hanc ergo infirmitatem existimo habuisse hominem illum, dequo Diuus Ioannes c. 5. refert triginta octo annos infirmasse. *Et erat quidam ibi triginta octo annos habens in infirmitate sua.* Aliqui existimant talem infirmitatem paralysim fuisse. Quod mihi difficile videtur. Nam sicuti in alijs occasionibus ipsam paralysim expresse nomināt Euangelistæ, ita in hac nominaret, & nón diceret in infirmitate sua. Ac si diceret non erat paralyticus,quāuis triginta octo annos patiebatur, sed alià infirmitas,quam Atrophiam nominamus.

Ioannes c. 5. ver. 5.

Quintum est,quod tabes est morbus plagās gentes. Hoc est, est morbus, qui ex infectione vnius plurimi possunt plagari. Hoc enim habēt

mor-

morbi contagiosi,& Tabes inter morbos contagiosos à Medicis annumeratur, præcipuè quando physici, & tabidi sunt, in quibus vlcus reperitur in pulmonibus, quod vlcus incurabile fere est propter continuum motum pulmonis ad cordis refrigerium, cessante pulmonis motu cessat vita:&cum ad omne vlcus cicatricādum, & mundificandum,& alia quæ vlcera pulmonū sordida petunt, sit necessaria quies, vt medicamēta agant, imo a motu vlcus augetur, quia extensione, vel dilatatione fit maior solutio. Hinc est quod tale vlcus sit incurabile,& purulentū sputum, & viscosum expuunt, tum & anhelitum, quem emittunt fetidus est, & fert secum lentorem quendam, vt non solum alijs adhæreat hominibus, sed capris, ouibus, equis, & trabibus cubiculi, ita vt in ipso habitantes (tractu temporis) a simili apprehendantur morbo, vt Alexander Masaria vir bonæ disciplinæ ornatus, & alij multi Medici tenent.

Sextum est, quod caro est pars, quæ primario afficitur; hoc est, non quod cæteræ corporis partes non sint idoneæ ad eamdem pati affectionem, sed quia cum caro sit calida, & humida, quod magis obijcitur oculis est carnium consumptio, & ita caro contabescit,& oculi in suis

foraminibus, siue angulis, & lingua in ore suo.

CAPVT XLIX.

De Marcore.

HOC quod est marcescere de omnibus rebus quodadmodo dicitur. Nam quando nubiculosa, turbida, vel tristis est dies dicimus quod Sol marcescit, Hyuerno tempore propter nimiam aeris frigiditatem, fontium, fluuiorumque aquas fluentes condensantem ipsas marcescere fontes, vel fluuia metaphoricè dicimus. Similiter animum Marcore affectum, quando nimia oppletum tristitia tenemus, vt Iob. c: 30. *Nunc autem in memetipso Marcescit anima mea, & possidet me dies afflictionis?* Et Celsus lib. 2. c. 2. si marcet animus, si corpus torpet, si moueri, loquique piget; verum tamen propriùs de rebus viuentibus vsurpatur, siue vegetabilia, siue sensibilia sint, vt ex Galeno constat lib. de Marcore cap. 1. de primis scilicet de vegetabilibus videtur loqui sacra pagina cap. 2. Sapientiæ. *Coronemus nos rosis, antequam Marcescant* (marcescit enim rosa, quamuis in arbore) Esaias cap. 19. *Calamus, & iuncus Marcescet.* Et Ezechias cap. 19. *Et euulsa est*

Iob. ca. 10. ver. 16.

Sapientiæ c. 2. ver. 8. Esaias cap. 19. ver. 6. Ezechias c. 19. ver. 12.

est in ira in terram que proiecta, & ventus vrens sicca- *Iob.c. 33. ver. 19.*
uit fructum eius: Marcuerunt, & arefactæ sunt virgæ roboris eius. De secundis scilicet, de sentitiuis videtur intelligi posse locus ille Iob.cap. 33. *increpat quoque per dolorem in lectulo, & omnia ossa eius Marcescere facit.* Vbi Marcor non solum partibus carnosis, sed verum etiam spermaticis, quæ frigidæ, & siccæ sunt, & duritiem vel consistētiam habent, & vt ossa, videtur conuenire.

Hoc enim ex natura Marcoris constabit, Galenus lib. 4. de causis pulsuum c. 10. dicit, quod marcescentium nomē dictū fuit à flammis marcescentibus, quæ difficultate mutrimenti extinguuntur; calor enim natiuus animalium marcescit eodem modo. Et quāuis videatur hæc affectio similis cum supra depicta Tabe, tamen differunt, quod Marcor potest esse sine febre; Tabes vero non reperitur sine ipsa, imo est habitualis. Tabes potest fieri a plurimis causis exoluentibus humidum sine positiua siccitate; Marcor vero minimè. Tabes totius corporis est affectio; Marcor vero alicuius membri tantummodo, vt brachij, vel manus, vt videre est apud Diuum Ma- *Matthei c. 12 ver. 10.*
thæum cap. 12. *Et cum inde transisset venit in Synagogam eorum,* & *Ecce homo manum habens aridam,* (& infra) *tunc ait homini: extende manum tuam,* &

ex-

opponuntur,& ita Pestis cum includat contagium,ad hoc vt ex vno corpore in aliud migretur,simili modo necessum est, vt ex putredine ducat originem,vt ex interfectis cadaueribus in magnis prælijs , & debellationibus, tum & etiã ex lacunis,& alijs locis valde humidis, & vaporosis contingit. Aer recipit,vel in ipso imprimitur qualitas ipsa putredinalis,non solum putredinalis,vt sic,sed maligna propter particularem modum putredinis indicibilem , & minus inexplicabilem,qua quidem qualitate , cum aerẽ ad vitæ necessarium respirent viuentia , necessarium est , vt statim ac ipsum valet , cor alterat loco perfrigerationis ipsum alteret ;& corrumpat; quia talis Pestilens qualitas admodum veneni dispositionibus vitæ conseruatiuis directè opponitur.

Videtur enim (etiam si breuiter) sufficienter esse descriptam Pestis naturã. Et si aliquis multa desiderat, videat circa hãc rem Authores. Ad nos in præsenti attinet explicare , an ad Pestem necessariò infectio medio aere requiratur. Nam anno præterito 1637.in ciuitate Malachẽsi fuit magnus gentium interitus ex prauis alimentis, præcipuè tritico putrido (vt cõmunis fuit opinio) & cum magna,& vehementi contagione, ita

ita vt ſicuti in vera, Peſte ciuitates cuſtodiuntur, cuſtodiretur ipſa ciuitas, & populi & ciuitates circumvecinæ propter Peſtis timorem. Aliqui fuerunt non parum momenti Medici, qui non Peſtem, ſed Peſtilentialem Epidemiam fuiſſe dixere. Nam quamuis ſit verum, quod omnis Peſtis eſt Peſtilentia; non tamen omnis Peſtilentia eſt Peſtis: nam plurimi ſunt morbi cõtagioſi, periculoſi, & lethales, qui ſunt Peſtilentes, nõ tamen etiã ſi epidemici, & populares ſunt Peſtis. Nam febris puncticularis (vulgò *Tabardillo*, & anginoſus morbus vulgò *Garrotillo*,) & alij huiuſmodi Peſtilentes ſunt, nõ tamen dicimus eſſe Peſtem, etiam ſi plurimi ex illis pereant; quia nõ ab aeris infectione, quæ non ſolum eſt cauſa cõmunis, vt praua alimenta reſpectu alicuius ciuitatis, ſed vniuerſalis. Hoc enim deduci videtur poſſe, ex Leuit. c. 26. *Cumque confugeritis in vrbis mittam Peſtilentiam in medio veſtri.* Ac ſi diceret, quod mittet morbum aliquem Peſtilentẽ, vt illos, illarum afficeret vrbium, non vero alijs; ac quando aeris corruptione Peſtis oritur. *Leu. c. 26. ver. 25.*

CAP.

CAPVT XLVIII.

De Tabe, vel Phtysi.

2. lib. Par. cap. 21. ver 19. LIB. 2. Paralip. cap. 21. de Tabe hæc sunt verba. *Cumque diei succederet dies, & temporum spatia voluerentur, duorum annorum expletus est circulus, & sic longa consumptus Tabe, ita vt egereret etiam viscera sua langore pariter, & vita caruit, mortuusque est in infirmitate pessima.* Esaia. Isai. c. 13. ver. 2. cap. 13. *Et omne cor hominis contabescet*, Ezech. c. 4. Eze. cap. 4. vers. 17. *Vt deficientibus pane, & aqua corruat vnusquisque ad fratrem suum, & contabescat in iniquitatibus suis.* Hic enim sumitur Tabes pro animi afflictione, vel tribulatione, vt Lyra, & Maldonatus, Zach. 14. ver. 12. Zach. cap. 14. *Et hæc erit plaga, qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ pugnauerunt aduersus Hierusalem. Tabescet caro vnusquisque stantis super pedes suos, & oculi eius contabescent in foraminibus suis, & linguæ eorum contabescent in ore suo.*

Primum, quod ex his locis colligitur est, quod Tabes cronica, siue longa infirmitas est: nam duorum annorum expletus fuit circulus. Secundum est, quod Tabes pessima infirmitas est. Tertium, quod cor hominis apprehendit.

Quar-

Quartum, quod ex defectu cibi, & potus, hoc est, panis & aquæ, fit tabes. Quintum quod est morbus plagans gentes. Et sextum quod caro est pars, quæ primario afficitur.

Primum enim constat ex natura tabis, quam præscribit Galenus 1. Epidemion. part. 2. com. 13. Corporis extenuationem, vel maciem significat, siue defectu alimenti, siue a febri hectica, siue a vulnere pulmonis proueniat. Frequentius vsurpatur a Medicis (vt videre est apud Vallesiũ cap. 40. suæ sacræ Philosophiæ) pro extenuatione, quæ ab vlcere pulmonis ortũ habet. Itaque contabescere, idem est, quod in tabem cõuerti, & tabes quòd cõsumi, vel extenuari, & extenuari, quòd dissolui, & dissolui quod diminutè nutriri propter calidam intemperiem exhalantẽ, ita vt sit multo maior substantifica cõsumptio, quàm alimenti reparatio. Hoc enim vt in omnibus corporis partibus contingat (vt in vera tabe contingit) est necessarium, quod causa exoluens, nempe calor, sit continuò affligens, adhærens, & permanens, vt in illis qui tabidi sunt a febre hectica, in qua per modũ habitus calor corpori adhæret. Vnde constat quod non est morbus acutus, sed longus; durat enim vsque ad vltimam humidi radicalis consumptionem. E-

xẽplo lucernæ fit manifestum. Extinguitur vel moritur ad olei defectum vel, consumptionem, & ita variata actiuitate causæ dissoluentis, & humidi radicalis copiæ, fit plus, vel minus longa tabes.

Secundum est, quod pessima infirmitas est, quod est dicere ferè incurabilis; siue fere nullus est tabidus, qui sanetur, & ad pristinam reducatur salutem. Et ratio est: nam tabes in principio est dificilis cognitionis; quando vero cognoscitur est difficilis curationis. In principio extenuatio, quæ reperitur, potest ab alijs causis citra tabem prouenire. Tabes enim nõ habet signa passonomonica, & inseparabilia. Quando autem Medicus cognoscit tabem, tũc iam tempus est sufficiens transfactum, vt etiã si Medicus vtatur, quibus valdè substantificè æger reparetur, & humectetur, vt lac, balnea, & alia huiusmodi, non est possibile tabidum reducere; quia non solum reperitur tunc consumptio humorũ spirituum, & roris per totum corpus sparsi, sed ipsius met humidi radicalis in omnibus existentis partibus corporis a principijs generationis, a semine scilicet, & sanguine materno, & cum non sit aliud simile ex quo fiat per nutritionem restauratio, hinc est quod tabes sit curatu difficilis, siue pessima infirmitas.

Ter-

Tertium est quod cor hominis apprehēdit. Hoc enim est certum: nam quamuis quodlibet corporis membrum, vt brachium, vel crus possunt extenuari non est vera tabes. Vocatur enim marcor (vt cap. sequenti constabit) lato modo tabes appellatur. Propriè tabes est, quando cor afficit, ita vt sicuti partes externę extenuantur secundum trinam dimentionem, longitudinem, latitudinem, & profunditatem, ita cor extenuetur, ita vt cæteris corporis partibus non mittat tot spirituum vitalium copiam, quæ partes viuificare, & corpus totū lætificare valeat, imo cor generat malos spiritus quodam malo sigillo, mala inquam qualitate, quam in viventis partibus introducit. Vnde est necessariū, quod tractu temporis æger pereat: non enim periret, si incolume esset cor, etiam si totū corpus esset afectū.

Quartum est quod contingit tabes ex defectu cibi, & potus. Hoc enim est intelligendum hoc modo: non quod ex fame pereat æger tabidus: nam ex fame (quidquid dicant Historiæ) vltra septimum diem nemo progreditur. Hippocrates vitam hominis septem dierum esse dixit. Sed quod etiā si cibum capiat, & bibat, nutriatur, ita diminutè, ac si ferè cibum, & potum non caperet. Et ratio est, quia obstruuntur, clau-

morbi contagiosi, & Tabes inter morbos contagiosos à Medicis annumeratur, præcipuè quando physici, & tabidi sunt, in quibus vlcus reperitur in pulmonibus, quod vlcus incurabile fere est propter continuum motum pulmonis ad cordis refrigerium, cessante pulmonis motu cessat vita: & cum ad omne vlcus cicatricãdum, & mundificandum, & alia quæ vlcera pulmonũ sordida petunt, sit necessaria quies, vt medicamẽta agant, imo a motu vlcus augetur, quia extensione, vel dilatatione fit maior solutio. Hinc est quod tale vlcus sit incurabile, & purulentũ sputum, & viscosum expuunt, tum & anhelitum, quem emittunt fetidus est, & fert secum lentorem quendam, vt non solum alijs adhæreat hominibus, sed capris, ouibus, equis, & trabibus cubiculi, ita vt in ipso habitantes (tractu temporis) a simili apprehendantur morbo, vt Alexander Masaria vir bonæ disciplinæ ornatus, & alij multi Medici tenent.

Sextum est, quod caro est pars, quæ primario affieitur; hoc est, non quod cæteræ corporis partes non sint idoneæ ad camdem pati affectionem, sed quia cum caro sit calida, & humida, quod magis obijcitur oculis est carnium consumptio, & ita caro contabescit, & oculi in suis

foraminibus, siue angulis, & lingua in ore suo.

CAPVT XLIX.

De Marcore.

HOC quod est marcescere de omnibus rebus quodadmodo dicitur. Nam quando nubiculosa, turbida, vel tristis est dies dicimus quod Sol marcescit, Hyuerno tempore propter nimiam aeris frigiditatem, fontium, fluuiorumque aquas fluentes condensantem ipsas marcescere fontes, vel fluuia metaphoricè dicimus. Similiter animum Marcore affectum, quando nimia oppletum tristitia tenemus, vt Iob. c: 30. *Nunc autem in memetipso Marcescit anima mea, & possidet me dies afflictionis?* Et Celsus lib. 2. c. 2. si marcet animus, si corpus torpet, si moueris loquique piget; verum tamen propriùs de rebus viuentibus vsurpatur, siue vegetabilia, siue sensibilia sint, vt ex Galeno constat lib. de Marcore cap. 1. de primis scilicet de vegetabilibus videtur loqui sacra pagina cap. 2. Sapientiæ. *Coronemus nos rosis, antequam Marcescant* (marcescit enim rosa, quamuis in arbore) Esaias cap. 19. *Calamus, & iuncus Marcescet.* Et Ezechias cap. 19. *Et euulsa est*

Iob. ca. 10. ver. 16.

Sapientia c. 2. ver. 8.

Esaias cap. 19. ver. 6.

Ezechias c. 19. ver. 12.

est in ira in terram que proiecta, & ventus vrens sicca-uit fructum eius: Marcuerunt, & arefactæ sunt virgæ ruboris eius. De secundis scilicet, de sentitiuis videtur intelligi posse locus ille Iob. cap. 33. *increpat quoque per dolorem in lectulo, & omnia ossa eius Marcescere facit.* Vbi Marcor non solum partibus carnosis, sed verum etiam spermaticis, quæ frigidæ, & siccæ sunt, & duritiem vel consistētiam habent, & vt ossa, videtur conuenire.

Iob. c. 33. ver. 19.

Hoc enim ex natura Marcoris constabit, Galenus lib. 4. de causis pulsuum c. 10. dicit, quod marcescentium nomē dictū fuit à flammis marcescentibus, quæ difficultate mutrimenti extinguntur; calor enim natiuus animalium marcescit eodem modo. Et quāuis videatur hæc affectio similis cum supra depicta Tabe, tamen differunt, quod Marcor potest esse sine febre; Tabes vero non reperitur sine ipsa, imo est habitualis. Tabes potest fieri a plurimis causis exoluentibus humidum sine positiua siccitate; Marcor vero minimè. Tabes totius corporis est affectio; Marcor vero alicuius membri tantummodo, vt brachij, vel manus, vt videre est apud Diuum Mathæum cap. 12. *Et cum inde transisset venit in Synagogam eorum, & Ecce homo manum habens aridam,* (& infra) *tunc ait homini: extende manum tuam, & ex-*

Matthei c. 12 ver. 10.

extendit, & restituta est sanitati, velut altera. Addit Diuus Lucas. *Et erat ibi Homo, & manus eius dextera erat arida.* Verumtamen vbi Galenus latè de hoc agit affectu, fuit proprio lib. de Marcore, in quo hæc sunt prima scripta verba: Marcor, quem Marasmū Græci vocant corruptio est viuentis corporis ex siccitate. Itaque nō quælibet corruptio viuētis est Marcor, sed illa, quæ ex siccitate fit. Marcescunt igitur viuentia omnia naturaliter, vel morbosè. Naturaliter marcescunt per senium viuentia omnia humidi consumptione solidarum partium à calore natiuo continuo in ipsas agente, ita vt secundum trinam dimensionem, longitudinem, latitudinē, & profunditatem corpora minus occupent spatium. Talis enim Marcor naturalis est, & per causas naturales ætatiuas naturali modo operātes: talis Marcor non est quid præter naturam, nam nullus præsupponitur morbus Medicus a quo dependeat. Non ita contingit in Marcore, quē in torrido Marasmo inuenimus: talis enim morbus est, a morbo enim dependet, scilicet ab intemperie calida, & sicca cordis, vel sicca solū (Phisicè enim non implicat simplex qualitas, vt ex Galeno in hoc cap. 1. de Marcore cōstat) contingit raro intemperies sicca, siue consumptio,

Lucæ cap. 6. ver. 6.

tio, vel vt proprius loquar, extenuatio, quæ synthoma est facultatis nutritiuæ; cõmunicat enim cæteris corporis partibus, Cor per arterias ipsã intemperiem, & ita ad pensum ipsius affectionis Cordis cæteræ viuentis partes simili afficiuntur affectione; ita vt ossa videantur cõsumi. Cõtingit multoties arbores per partes aliquas marcescere propter particularem illius partis siccã intemperiem; ita similiter experimento est compertum brachium, vel crus marcescere, nullatenus affecto Corde, & tunc temporis talis Marcor est curabilis per reductionem illius partis ad naturalem humidam temperiem. Quando vero Cor afficitur, & simul totum corpus, vt in Marasmo contingit, talis Marcor est incurabilis; sicuti qui euenit per senium; vt est videre apud Vallesiũ in cap. 46. Sacræ Philosophiæ. Habet enim in vitæ principio aliquid iam factum, & reparatio, quæ per humida alimenta fit est tardioris actionis. Tũ quia siccitas actiuior est humiditate (de qua re copiosius egi in Philosophia naturali Sacrosãcti Corporis Christi, cũ de causis senij, & mortis naturalis Christi, si violẽter nõ fuisset mortuus scripsimus) quæ omnia in Marcore particulari nõ cõtingũt: quia à partibus præcipuis, vt Corde, & iecore misione humidæ

midæ substantiæ corrigi intemperies potest.

CAPVT L.

De Gibbositate

INTER Affectiones ad cauitatem vitalem pertinentes, Gibbositatem adnumeramus, quia præterquam, quod est morbus in mala cõformatione pectoris, vel dorsalis spinæ, quia deprauatur figura naturalis, & cauitas vitalis (ita appelata, quia Cor, & instrumenta, quæ ad respirationem deseruiunt clauduntur) propter malum nexum, vel vbi vertebrarum, vel costarum partes internæ, vt sunt, Cor, pulmo, pericardion, septum transversum, arteriæ asperæ, & lenes, non ita naturaliter se habent, ac quando corporis est optima, & naturalis structura, vt ex frequenti respiratione, exanimata voce, & alijsque in Gibbosis experimur propter angustiosã positionem, quam in tali affectione dictæ patiuntur partes.

Hæc enim affectio omnibus potest esse communis animalibus, siue in prima ipsorum formatione, siue à causa morbosa interna vel externa contrahatur. De naturali Gibbositate fit mẽtio apud Esaiam cap. 30. *Portãtes super humeros iumentorum diuitias suas, & super Gibbum Camellorum*

Esaias c. 30. ver. 6.

rum thesauros suos. Plinius lib. 10 cap. 26. de Gallinis Africanis hæc dicit. Hoc est gallinarum genus Gibbearũ varijs sparsum plumis. Et idẽ confirmat Varr. 2. de re rustica cap. 9. Gallinæ Africanæ sunt grandes, variæ, & Gibbosæ. Atque hominibus per senium naturaliter fit Gibbositas, vt experimento constat, præcipuè si magni corporis sint. Quod Hippocrates insinuat 2. Aphor. 54. Proceritas corporis iuvenibus vtilis, senibus vero deteriorque quam breuitas. De Gibbositate præter naturam est locus apud Leuiticũ cap. 21. in quo inter affectiones alias, ob quas homo priuabatur, vt altari oblationem offerret, gibbositas est. *Si fracto pede, si manu, si Gibbus, si lippus.* *Leuitici c. 12. ver. 20.*

Galenus com. 3. in Hippoc. lib. de articulis inter aliqua quæ Gibbosis contingunt respectu situs partis, in qua Gibbositas cõtrahitur, dicit, quod si Gibbositas fiat infra septum transversum, hoc est, circa lumbos, quod tales fiunt infœcundi, cuius rei rationem non reddit. Existimo itaque, quod vasa spermatica propter compressionem causatam, in ipsis non ferunt sanguinem testibus in quantitate necessaria, ad seminis generationem, quia per compressionem angustior redditur via. Possumus igitur conie-

ctu-

Certum est, quod talis corporis inclinatio, vel incurvatio videtur fuisse neruorũ, vel musculorum affectio. Nam sicuti expeditus, liber, & naturalis motus denotat sanitatem partium neruosarum, & musculorum, quibus liber motus animalis debetur. Ita priuato, vel impedito motu, est existimandum dictarum partium corporis involuntariam inclinationem versus terram fuisse affectionem; affectionesque à motu priuant, & impediunt hominem à voluntarijs actionibus illarum vna paralysis est. Hæc enim priuatio sensus, & motus est. Cum autem talis mulier inclinata nõ esset priuata à sensu, & motu, sed tantum modo impedita; quia non poterat sursum respicere, videtur quod talis passio non fuit paralysis: nam in ista affectione paralytica pars, quę primario afficitur est neruus, & si in dicta muliere nerui essent affecti, non ab vnico tantum motu esset priuata, scilicet sursum, sed à plurimis. Neque convulsa fuit; convulsio enim retractio est musculorum versus suam originem, & musculis motus voluntarius debetur; quia partes elicitiuæ motus ipsi sunt, taliter vt ad vnumquemque motum suum in qualibet parte, siue sursum, siue deorsum, dextrorsum, vel sinistrorsum, siue in gyrum natura propriũ

musculum, vt proprijssime fiat, habet, vt appro-
prio instrumento. Nam si vnico musculo plu-
res fierent motus, multoties erraret, & vnum
pro altero exerceret, & esset necessarium dari
aliquod determinans, vt nunc istum, & nō aliū,
& e contra faceret motum, & etiam si videatur
convulsam fuisse, quia vnico solum motu ad
corporis erectionem erat priuata. Vnde muscu
lum particularem deseruientem ad illum mo-
tum læsum vel contractum fuisse erat necessa-
rium. Tamen quia convulsio fieri non potest
nisi a repletione, vel inanitione, & repletio
vnius solius musculi per tot tempus scilicet oc-
todecim annorum, absque eo quod calor natu-
ralis partis materiam consumeret, vel resolue-
ret, videtur difficile fuisse convulsam. Neque
convulsa fuit ab inanitione, quæ a siccitate fit,
vt aparet in corrigia, quæ si igni applicetur, con
trahitur, & corrugatur, & talis contractio, &
corrugatio à siccitate viuo existēte animali per
tot tempus est difficilis; ideo probabiliter exi-
stimo talem mulierem, neque paralysi neque
convulsione fuisse affectam. Neque instrumen-
tum aliquod respirationis læssum habebat, etiā
si Sāctus Historiator dicat, quod sursum respi
rare non poterat. Imo si aliquam læsionem in

respiratorijs instrumentis haberet, melius posset respirare erecta facie, quàm curuato corpore. Hoc enim in Asmathicis verificatur, qui obstructionem in bronchijs habent pulmonũ, & tales erecta ceruice quærunt aerem, vt respirent, ita vt iacere in lecto non posint, nisi sedentes, vt melius aerem mouendo omnia respirationis instrumẽta attrahere posint, & ita dico, quod verba illa: *Nec poterat sursum respirare*, idẽ videntur sonare, ac non poterat erectum continere corpus.

Meo tamen iudicio mulier luxationem alicuius vertebræ ipsius dorsi versus partem internam, scilicet versus cauitatem patiebatur. Non enim sufficiũt musculi ad diuersos exercendos motus, sed sunt necessaria ossa quædam, quæ vertebræ vocantur, & à principio spinalis medullæ vsque ad vltimam ipsius dorsi partem, animalibus omnibus præcipuè perfectis inseruiunt, vt nõ quomodocumque fiat motus, sed ita particulatim, vt tanquam per partes, vel quodam modo per gradus fiant. Et ita existimo luxatam fuisse vertebram ex superioribus versus partem internam, ita vt manifestè non apareret luxatio, sicuti quando est ad extra, quæ omnibus est nota que fuisset in causa, vt corpus

pus inclinatum haberet, respiraretque sursum; hoc est, erectum continere corpus non posset.

CAPVT LII.

De Hydrope.

Lucae c. 14 ver. 2. DIVVS Lucas cap. 14. haec narrat. *Homo quidam Hydropicus erat ante illum, & respondens Iesus dixit ad legisperitos, & Pharisaeos dicens, si licet Sabbato curare? At illi tacuerunt, ipse vero apprehensum sanauit eum.* Maldonatus circa verbum *apprehensum*, dicit, voluit ostendere se non solum vt Deum, sed etiam vt hominem vim habere curandi, & humanitatẽ suam instrumentum esse diuinitatis.

Inter morbos difficilis curationis non vltimum tenet locum Hydrops quod non solum constat ex omnibus Principibus Medicinae (& inter illos legatur Beda, qui in hoc loco multis verbis, quinam morbus sit, declarat) & experientia, sed ratione. Quia scilicet pars affecta in Hydrope est iecur, quod inter principes partes locum tenet. Frigida intemperie afficitur ratione cuius sanguificatio, quae in hepate celebratur non est naturalis sed praeternaturalis, & depra-

uata. Loco enim ſanguinis (hoc eſt, maſſæ ſanguinariç) vel generatur pituita, vel aqua, vel flatus, vnde tres conſurgunt ſpecies hydropis. Anaxarca, quæ ex pituita. Aſsitis, quæ ex aqua, & Tympanitis, quæ ex flatu. In omnibus his ſpeciebus frigiditas reperitur præternaturam in iecore, ſiue ſit poſsitiua, ſiue priuatiua. Tunc enim reperitur poſsitiua frigiditas, quãdo omnes exuperat alias qualitates, vt in Aſſyte contingit, in qua ita eſt deprauata actio ſanguifica tiua, vt loco ſanguinis alienam generet ſubſtãtiam ineptam ad viuentis nutritionem, quæ aqua eſt ex ſua natura frigida, & humida incoctilis, & inepta, vt partibus aglutinetur, & ex ipſa nutriatur. Et quamuis ſit verum, quod in Anaxarca (in qua loco ſãguinis flegma generatur) frigiditas ſimiliter poſsitiua reperitur, ſed non ita in exceſſo gradu, ac in Aſſyte. Flegma enim humor eſt noſtræ naturç, non ita diſsimilis ac aqua, imò ex ipſa, ſicuti ex alijs componitur maſſa ſanguinaria, & tempore famis, vel indigentiæ, per vlteriorem coctionem in ſanguinem conuertitur. Arguit ergo in hepate moderatam frigiditatem poſsitiuam, ratione cuius, pluſquam neceſſarium ſit, pituita generatur, & ſupra omnes redundat humores, calo-

remque aliorum ſua frigiditate, lentore, atque craſſtie hæbetat, & ſuffocat, & ita tales Hydropici ſiue in aſſyte, ſiue in Anaxarca difficile mouentur, hoc eſt, pigriſsimi ſunt ad motũ propter nimiam quantitatem in omnibus venis, & inter cutem, & cutem nimium pondus cauſantem. Quando vero calor naturalis eſt diminutus, ita vt à frigiditate ferè exuperetur, tũc ſanguis in hepate diminutè coctus generatur, & ex ipſo vapores eleuantur, ſiue flatuoſa quadã ſuſtantia a tali diminuto calore potente ad eleuationem ipſius aereæ ſubſtantiæ, ſed nõ adreſolutionem, & conſumptionem, & ita craſſus, & denſus intra cauitates manet, & ipſas extendit, & aliquando propter magnã extenſionem fere videtur rũpi: ita vt ſi quis tangat, vel pulſet ventrem inueniet ſonitum ad modũ tympani, & ideo talis ſydrops ſpeties tympanitis appellatur. Hæc autẽ tympanitis non ſolũ poteſt fieri ab intẽperiè frigida, ſed à calida. Experiẽtia eſt cõpertũ quàm plurimos poſt diuturnas, & longas febres potiſsimũ ardẽtes, nos videmus, quibus magna fuit calidi innati exolutio, & ratione ipſius exolutionis manet frigidũ ipsũ hepar, nõ frigiditate poſitiua, ſed priuatiua; quia ſcilicet operatur hepar in ſua ſanguificandi actione

mino-

minori calidi innati copia, hoc est, remissiori calore naturali. Et ita cũ actiones à naturali prouẽniãt tẽperatura (etiã si hepar durãte febre ardẽte, vel hectica, in qua id ipsum solet contingere calore præter naturã afficiatur, & calor naturalis remissus sit) materia humoralis, quæ generatur, illa est, quæ ad flatuũ generationẽ est disposita, & ita flatus cauitates, & cutim, quærẽdo exitũ occupãt, & distẽdũt, & cũ pro ipsius caloris naturalis imbecillitate ad resolutionem grositie & corporatura non posit difflari. Hinc est, quòd qui ita Tympanitici fiũt suffocati a flatuosa aerea substantia, sicuti cæteri a pitituita, & aqua moriantur.

Cõmuniter inter Medicos disputatur, quænã harũ Hydropis spetierũ sit maioris periculi, & diffiei lioris curationis. Circa quod variæ sũt pro varietate Authorũ opiniones, vel sentẽtiæ. Aliqui Anaxarcã difficiliorẽ esse existimãt, quia pro nimio lentore, & cratitie pituitæ maximopere adhærẽtis maximã habet ad expurgationẽ difficultatẽ, ratione cuius reassari, & salsuginosã fieri ipsam pituitã est necessariũ. Vnde tales Hydropici, vehemẽtiorẽ, & intolerabiliorẽ habent sitim. Aliqui dicunt Tympanitim, quia nullum est signatũ medicamẽtum, quod flatum educat, vel expurget. Alij ipsam Assytim diffi-

ciliorem curationē recipere, qui quidem veram tenēt sententiā; quia qui aqua sunt oppleti intēsiorem habēt contractā frigidā intēperiem in hepate, ratione cuius quod resultat magis dissimile est nostræ naturæ. Sanguificādi ergo actio deprauatior existit, quā in tympanite: nā quāuis in Tympanite flatus quid dissimile sit, sed non tam dissimile ac aqua in Assyte. Aqua etenim frigida, & humida est, & cum calore natiuo directam cōtrarietatem, & oppossitionem ostētat. Flatus enim, qui aereæ substātiæ est, calidus & humidus est, & nō est dissimilis cū nostra natura, quātū ad primas qualitates. Vnde colligo quo qui hydropica affectione afficiūtur, nempe assyti, alias duas similiter speties habēt, nō verò è contra: nā magis intēsum cōprehendit minus intensum. Assytis ergò cum ab exuperante frigiditate positiua fiat comprehendit sub se alias intēperies, Anaxarcā, & Tympanitim constituentes, & ita apparet quod tales hydropici omnibus constant intemperiebus, & moriuntur; non verò è contra. Et ita coniecturam facio, quod Hydropicus, quem sanauit Iesus, de quo Diuus Euangelista Lucas mentionem facit, erat Assyti affectus. Et ratio est, quia Diuus Lucas fuit Medicus (vt Diuus Paulus. 4. cap. ad Colocenses testatur) & vt talis videtur prius

de-

debuisse de re magis miranda, & supranaturam mentionem facere, & mirari quam de re minoris aduertentiæ, quæ non tantum discessum à natura haberet. Cum ergo dicat Iesum sanasse Hydropicum existimandum est non fuisse solum anaxarca, vel tympanite affectum, sed assyte, quæ ex aqua conflatur, & quę cœteras Hydropis species includit, & comprehendit.

CAPVT LIII.

De Fame.

FAMES In genere per appetitum alimẽti definitur communiter: & in Sacris Literis frequentissimè de hac passione fit mentio. Nam quando Deus opprimere, & plagare propter nequitias Ciuitates, vel Regiones volebat, id fame vniuersali faciebat. In hac significatione legimus cap. 12. Genes. *Facta est autem Fames in terra; descenditque Abraham in Ægiptum, vt peregrinaretur ibi; prævaluerat enim Fames in terra.* Idipsum significatur cap. 26. 41. 42. 43. & 47. & alijs quamplurimis in locis. Verum vbi accidentia, & rigores Famis depinguntur (relictis alijs sacris testimonijs, quæ sunt fere si- *Genesis ca. 12. ve. 16*

ne numero) horrores, & pernities; quibus omnia subijciuntur viuentia, cuius oppressio cæteros omnes labores secum affert, & vicinam mortem ostendit; est c. 5. Threnor. Inter multos labores, qui in tempore captiuitatis acciderunt tempestatem ex Fame refert. *Pellis nostra quasi Clibanus exusta est à facie tēpestatum Famis.* Quæ quidem verba, vt intelligantur aduertendum est quomodo fiat, & quotuplex sit Famis?

Threnor. c.5.v.10.

Pro intelligentia veritatis, notandum est, quod Fames passio est Ventriculi, in quo duæ reperiuntur tunicæ, interna scilicet, & externa. Interna neruosa est ad sensum Famis, & Sitis, atque aliarum sensationum facta. Præcipuè est neruosior in superiori orificio propter dictum finem. Externa est crassior, & propter coctionem, quæ in ipso celebratur facta fuit, & ita in fundo ventriculi maiorem habet crassitiem, siue corporaturam, vt perfectiùs, siue intensiùs fiat coctio. Quando animal famescit, quinque reperiuntur. Primum est inanitio earum partium, quæ sunt iuxta cutem. Secundum est appetentia naturalis dictarum partiū. Tertium est tractio, aut succio dictarum cutanearum partium successiuè vsque ad ventriculum. Quartum est, sen-

ſenſus ſuctus in ventriculo; & quintum appetentia animalis. Tria illa prima communia ſunt plantis; quia omnibus viuentibus eſt communis actio caloris in humidum ſubſtantificum, ad cuius reſolutionem naturale eſt ipſius defectum ſentire, ipſumque vt proprium alimentũ attrahere, ne actione calidi viuens pereat. Duo ſecunda animalibus conueniunt, quia ſenſus ſuctus, & appetentia præſupponunt ſenſum; ſenſus enim tactus, qui in omnibus reſidet corporis partibus in ore ventriculi (ab antiquis cor appellatum, quia ita intensè, vt cor ſentit moleſtias) percipit qualitatem quandam moleſtantem, quam cœteræ corporis partes ſua tractione, & ſuctione inducunt, quæ non eſt aliqua ex quatuor primis, vt latè Petrus Garcia Carrero diſp. 50. cap. 6. neque eſt aliqua ſecunda, vel innominata, vt ipſe exiſtimat, ſed impulſus, qui ſi paruus eſt paruam ori ventriculi infert moleſtiam; ſi moderatus moderatam, & ſi vehemens vehementem. Tunc enim temporis immutato materialiter tactu (ſicuti immutatur in cœteris corporis partibus impreſſo impulſu) per ſpeciẽ ſui conſurgit appetitus actu fugæ: nam cum qualitas illa (& ſi naturaliter cõtingat, & à cauſis naturaliter operantibus) ſit corruptiua (vt

constat ex vehementi molestia, vel dolorosa sensatione, quam in ore ventriculi sentiunt famescentes) sicuti cæteræ qualitates tãgibiles ex sua natura (si nimis intensæ, & excellentes, vel improportionatæ sint) destructiuè. Ad hanc autem actus appetitus sensitiui passionem extimatiua apprehendit media intentionali spetie disconuenientiam obiecti, & vt medella cõsurgit iterum appetitiua potẽtia actu desiderij, quod in prosecutione alicuius boni alimẽti cõsistit. Tunc enim animalia apprehendunt, vel desiderant comedere particularia alimẽta, siue sit propter inclinationem particularem (sicuti abhorrent alia propter particularem auersionẽ, vel antypathiam) vel propter particularem tẽperiem, quam habent circa actuationem illius, & non alterius alimenti. Fames quæ in omnibus corporis partibus reperitur, vocatur naturalis; quia naturale est omni viuenti, etiam vegetabilibus alimenti defectum (sub gradu vegetabili) sentire (vt sic loquar) ipsumq; appetere. Fames, quæ in ore ventriculi celebratur, quia solum animalium perfectorum est, animalis appellatur, ita vt adhuc intra vterum fœturæ (etiam si per vmbilicum alantur) ipsa corripiãtur. Nam cum talis fames non tantum contin-

gat

gat ex inanitione capacitatis ventriculi, sed ex succione cæterarum partium alimoniam quærentiũ (si indigẽtes sunt) necessariũ erit ad ipsarum nutritionem ipsum alimẽtum sugere, siue ex alijs vsque ad ventriculum, qui est vltimus patiens in fame inquirere vel attrahere. De hac enim fame animali videtur intelligi locus ille Deut. cap. 28. *Seruies inimico tuo, quem immittet tibi Dominus Fame, & Siti, & Nuditate, & omni penuria.* & Paralipom. 2. cap. 32. *Num Ezechias decepit vos, vt tradat morti in Fame & Siti.* Deut. c. 28. vers 48. Parali. 2. c. 32. v. 11.

His itaque suppositis dico, quod verba illa Hieremiæ relata: *Pellis nostra quasi clibanus exusta est a facie tempestatum famis.* Idem medice sonant, ac si diceret, ita est vehemens, & intolerabilis Fames nostra, ita sumus consumpti, & ita attenuati, vt videatur pellis nostrorum corporum arida, sicca, & assata, ac si in furno, vbi panis decoquitur, adusta, vel combusta fuisset. Huic doctrinæ videtur consentire Nicolaus de Lyra. Et similiter id ipsum videtur significari verbis illis cap. 4. Threnorum. *Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis. Adhæsit cutis eorum ossibus aruit, & facta est quasi lignum.* Constat enim attenuari corpora ex Fame authoritate eiusdẽ Hieremiæ cap. 14. Thre. c. 4. vers. 8. Hie. c. 14. vers. 18.

Si egressus fuero ad agros, ecce occisi gladio, & si introiero in ciuitatẽ, ecce attenuati Fame. Ratione similiter constat, quia alimenta, quæ sumimus sunt in ordine ad substantificam reparationem; quia noster natiuus calor; cum sit agens in actu continuo, agens sine aliquo impedimento continuo consumit, & dissipat de nostra substantia ita vt sicuti corpora, quæ augẽtur, vel ipsorum partes secundum trinã dimentionem augentur, longitudinem scilicet, latitudinem, & profunditatem, ita quæ diminuuntur ex famelica affectione secundum tres dimẽtiones dictas, necesse est, extenuentur, minuantur, vel consumantur. Et ita quãdo Fames est ingens, secum affert omnes labores, & terræ tempestates, & cutis, siue pellis (sicuti corrigia quæ ad ignem applicata ex nimia exsiccatione corrugatur, & in se se contrahitur) quæ primo a calore exoluente nimia rarefactione aperitur, a calore adurente, qui iam positiuam siccitatem dicit, aduritur.

Iam quod dictum est de fame, quæ naturaliter inest animalibus inquirere debemus, quotuplex sit. Dico igitur quod est duplex. Quædam vocatur canina, & altera pica, siue citta. Canina denominationem sumpsit a canibus,

&

& qui ipsa affecti sunt comedere appetunt continuo, sicuti canes, etiam si ventriculus nimis oppletus sit, & ex oppresione sit necessarium alimentum vomere, sicuti canes qui alimenti defectu iterum vomitum manducant. De tali canina affectione agit Dauid Psalm.58. *Conuertẽtur ad vesperam, & Famem patientur vt canes.* *Psalm. 58. v.7. & 15* Picca denominatur ita ab auicula quadam ita appellata, quia voces plurimas commutat; singulis enim diebus diuersam emittit vocem. Sic hoc affectu laborantes varia desiderant. Alij propter varios & diuersos colores plumarum dictæ auiculæ referunt, ita Famem appellari. Sed quidquid sit de nomine nihil interest. Aristoteles hoc admittit lib.7. de hist. animalium cap.4. & Ætius tetrabili 3. serm.1. cap.23. & Auicena fen.13. lib.3. trat.1. cap.17. Hãc affectionem patiuntur plurima animalia, præcipuè mulieres, & præcipuè si sint vtero gentes varia edulia appetentes, atque ea contraria ingrata, & gustui insuauia, vt terram, giptium, carbonem, & alia huiusmodi propter diuersos, & prauos humores præter naturam, sua præsentia, vel vaporibus ex ipsis eleuatis orificium ventriculi stimulantes, & offendentes, & appetitum in res deprauatas concitantes. De hac famelica

affe-

affectione præter naturam meo videri potest intelligi locus ille Genesis cap. 3. *Et ait Dominus Deus ad serpentem; quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Cornelius a Lapide dicit ex authoritate sancti Basilij, & Dydimi in catena, quod ante peccatum Serpenti erat naturale comedere terrã, quod potest intelligi, quatenùs à principijs vel causis naturalibus naturaliter operãtibus prouenit, non tamen quod non sit morbose. Et ità pro terra intelligitur, ac si diceret non erat secundum tuã naturã terrã comedere; quia non est alimẽtosa, sed alia alimenta secundum tuam naturam appetere, & quia in causa fuisti peccati commissi primorum Parentum, Fame præter naturam Picca scilicet, quæ terrã, & alia immunda appetunt, afficieris.

Gene. c. 3. vers. 14.

Ex quibus colligo, quod Fames picca est synthoma in actione facultatis appetitiuæ deprauata; quia non secundum naturam, sed aliena à natura alimenta talis famescentes appetunt à morbo in intemperie cum præsentia humorũ præter naturã depẽdens. Et canina est synthoma in actione deprauata ad auctũ appetitũ pertinens, vt latè Petrus Garcia citato loco docet

CA-

CAPVT LIIII.

De Siti.

INTER lamẽtabiles, terribiles, intolerabilesq; mortales Affectiones, quibus naturaliter viuẽtia corpora afficiũtur, primũ existimo posse occupare locum Sitim. Ad hãc veritatem significandam, quam plurima sunt in sacra Pagina testimonia. Verumtamen in præsenti paucis contenti sumus; quia in istis, omnia quæ de Sitis vehementia possunt dici, & significari inuenimus. Exod. cap. 17. Quando multitudo filiorum Israel in deserto clamabat, vt Moyses ipsis daret aquam ad bibendum hæc legimus. *Cur fecisti nos exire de Ægypto vt occideres nos & liberos nostros, ac iumẽta Siti?* Verùm vbi intolerabilior significatur Sitis est apud c. 7 Iudith oppressa ciuitate à manu militiæ Olofernis, fatigataq; à Siti, & nolens se tradere ipsius manibus, hæc ait: *Vt sit finis noster breuis in ore gladij, qui longior efficitur in ariditate Sitis.* Ac si diceret meliùs esset cito gladio perire quam ab ariditate Sitis vexari.

Exo. c. 17. ver. 3.

Iudith. c. 7. ver. 17.

Restat nobis in præsenti quid sit & quomodo fiat

fiat Sitis narrare? Postea causam ob quam non solum difficile tolerabilis, sed intolerabilior fame sit Sitis. Tum & etiam, quomodo vires posternat. Et quomodo exhibita aqua, vires aliquando reparentur, & quibus qualitatibus, & conditionibus (vt id contingat) debeat esse prædicta aqua.

Dico ergò quod Sitis à Philosopho definitur per appetitum frigidi & humidi, sicuti fames per calidi & sicci appetitum. Naturaliter quando famescimus, solidas & comestibiles res desideramus; nam cum finis sit ad apponendum, & supplendum id quod substantificè resolutum fuit actione continua caloris insiti, & naturalis, in quacumque viuentis parte necessarium est, quod appetitus in prosecutionem rei, quæ magis ad id conducat consurgat. Cú ergò nihil commodius inueniatur alimento calido & sicco, ideò fames calidi & sicci est appetitio. Nam calido alimento sanguis generatur qui suo intrinseco calore calorem viuētis foueat, & sicco alimento sanguis generatur, qui non solú sit difficilis resolutionis ob corporaturam sed vt melius adhæreat aglutinetur, & vltimò partibus nutriendis viuentis assimiletur. Naturaliter enim, quando Siti afficimur frigidum, &

humi-

humidum appetimus: nam cum finis sit ad cōtēperandū calorem, ne igneus fiat, & reparādū humidum, quod actione caloris in vnaquaque viuentis parte fuit (etsi minima) consumptum, & talis attrahat (sicuti in fame) humidum ex vicina, & illa ex altera vsque ad ventriculū (corporis communis officina in cuius ore tam fames quàm Sitis persentiuntur, facultasque appetitiua tanquā in suo throno vel tribunali residet) defectum humidi percalet sensus tactus, cui proprissimè impulsus cæterarum partium, vt propriæ potentiæ obijcitur, appetit frigidum & humidum, & cum nulla sit in rerum natura ex potabilibus rebus, quæ has qualitates ita excellentiores habeat ac aqua quæ ex natura sua, siue ex propria forma ipsius continet; alia vero liquida ab extrinseco. Ideo primum inter potabilia, quæ Sitim extingunt, meritò habet aquā locum, vt ex cap. 25. Prouerb. colligitur. *Sicuti frigus niuis in die messis.* Et paulò infra in eodē cap. *Aqua frigida animæ sitienti.* Et apud Diuum Marcum cap. 9. & Matheum cap. 10. *Quisquis potum dederit vobis aquæ frigidæ.* Vbi excellentiā in frigiditate collocare videtur. Vel vt tenet Maldonatus, qualis natura sua manat ex fonte.

Prou. c. 25 ver. 13. & ver. 25.

Matt. c. 10. ver. 42.

Quod Sitis non solum sit intolerabilis, sed

into-

intolerabilior fame constat primò experientia. Nunquã enim ægrotantes conquerere videmus de fame sicuti de Siti. Ferè nũquam ægrotãtes videmus de lecto propter famis oppressionem surgere, vt capiant cibũ; propter autem Sitim quotidie videmus ipsos surgere, & amphoras exhaurire, & multoties (si aquam nõ inueniũt) vrinam ipsam, quã minxerunt, & alia immũda a Siti oppressi bibunt. Tum quia famescentes dolorosam sensationem solum in ventriculo sentiunt. Sitientes vero in ventriculo, & toto corpore, præcipue in ore & lingua; ita vt multoties loquellam formare non possint, & lingua ex areditate, lignea, vel ossea videatur: scio quam plurimas esse in Authoribus historias de famescentibus, & Sitientibus; qui per multum tempus, dies, menses, & annos a cibis, & potionibus abstinuerunt. De quo Ferdinandus Cardoso doctè lib. de vtilitatibus aquæ frigidæ agit. Verum hoc nihil ad nos. Loquimur, ergo de fame & Siti secũdum se, & in eodem subiecto, & in eodem gradu: nam in diuersis gradibus & subiectis non est disputatio. Aliquibus erit intolerabilior fames propter naturalẽ apparatum ad exolutionem substantificam, & alijs Sitis propter naturalem complexionem

cali-

calidam & ſiccam, in qua bilis redundat, & os ventriculi brebiori tẽpore aduritur. Vnde euenit, quod Medici largiorem potum aliquibus concedant, & alijs ampliorem cibum. Quod quidem vnica tantummodo cõſtabit ratione. Nunquam corpora ita exactè ſunt munda ab excrementis, vel cruditatibus (etiam ſi biliosa ſint) vt defectu alimenti non poſsit apponere natura aliquam portionem (adhuc pro breui tempore) humoris crudi, in quo calor natiuus ſuam vim, vel actionem conſumat; ſed defectu humidi non eſt aliquid, quod ſuo loco natura apponat. Ergo quãtum eſt ex ſe, intolerabilior eſt Sitis fame.

Et ſi dicas quod cruditates ita poſſunt ſua præſentia Sitim extinguere ac famem, vt in diſtillationibus contingit, etiam ſi ægrotantes febre teneantur ardente, non ſitiunt vllo modo, & Sitim inextinguibilem pro ratione febris habent. Reſpõdetur quod tales qui in æquali mẽſura defectum habent alimenti cum fameſcũt; quia humor ipſe crudus, qui ſua humiditate os ventriculi inundat, & Sitim attemperat per caloris actionem in ſanguinem conuertitur, & famem ſicuti Sitim ſedat. Vnde ex omni parte videtur Sitis inextinguibilior fame.

T Con-

qui corporis sunt alimenta, sed quia sua frigiditate, & humiditate calori, & Siccitati opponitur, remittitque incendium, cōdensat porositates, per quas fit resolutio, attenuatos vapores incrassat, & partes omnes corporis sua fluxibilitate; quia per venas tanquā per rivulos fluit ad voluptuosam sensationē suis qualitatibus (quæ tāgibiles sunt) & omnibus infert nō solū priuatiuè minuēdo caloris nimiā intensionē, & acrimoniā, sed cōteperando, reducēdoq; tēperiem ad pristinū, & naturalē statū, sed positiuè tactū sua benignitate, & lenitie paulatim, atq; voluptuosè alterando. Hoc enim nō facit aqua primò, & per se, neq; secundariò, sed per accidens. Nam primò & per se solū est aquæ refrigerare, & humectare, & secundario condēsare; per accidens autem accidit ex vi dispositionis subiecti, quod vires recreet, & quod exolutionem impediat.

Hæc omnia causat aqua, si predita sit conditionibus necessarijs tam ex parte aquæ, quam ex parte occasionis, in qua a Medico ægrotanti conceditur, vel propinatur, de qua hic non agitur; quia iste non est proprius locus, & apud Medicos sunt multa. Conditiones sunt, quòd sit diaphana, insipida, & sine colore. Alias duas

conditiones quas addit Cardoso fol.29. nēpè, quod pro auditu sonitum faciat, & pro tactu, quod hyeme calens, & æstate frigida percipiatur in tribus dictis includi posse videtur. Tum quia tales conditiones ipsi aquæ non ab intrinseco, sed ab extrinseco proueniunt. Quanto purior, tanto immunior externis rebus, quæ impediunt motum naturalem deorsum, non ita valētiorem esse; sonitus namq; in petris, & rupibus, est indiciū suæ nuditatis, suæq; tenuitatis. Plin. lib. 31. cap. 3. ad aeris diaphaneitatē aquā optimam comparauit in sua origine frigida, & humida, pro piscibus crassa, pro hominibus & auibus tenuis. Idipsum Vega lib. 2. de arte medendi. Braceymus de Re cibaria. Gasius in corona florida. Sed omniū excellentius Hippocrates 5. Aphorism. 26. Aqua quæ cito calefit, & cito refrigeratur, ipsa leuissima est. Et Galenus in Comm. docet. Leuissima; id est, tenuis, & quæ minus in hypocondrijs detinetur, insipida, & sine colore propter dictas causas, quia aquæ, quæ saporem, vel colorem aliquem habent, id habent ab extrinseco, vnde reijcienda est.

CA-

CAPVT LV.

De Nausea.

VNICVS tantũmodo in ſacra pagina de Nauſea reperitur locus cap. 21. Numer. *Num. c. 21 verſ. 5.* loquens populus Iſrealiticus contra Dominum, & Moyſem, quando cœleſti illo cibo ſatiebatur. *Cur deduxiſti nos de Ægypto, vt moreremur in ſalitudine? Deeſt panis, non ſunt aquæ: anima noſtra iã Nauſeat ſuper cibo iſto leuiſsimo.* Abulẽſis dicit, quod cauſa murmurationis fuit quia Manna erat cibus leuiſsimus, qui non agrauabat ventriculum, neque aliquid excrementitiũ reſultabat, vt emitterent per ſeceſſum, vnde timuerũt Hebræi, ne intra viſcera eorum putreſceret, & mortem minaret. Verumtamen quãuis hoc ita ſit, videtur non debere dicere quod Nauſeam cauſãbat, ſi vẽtriculum non agrauabat, & ſi Nauſeam vel faſtidium, vel auerſionẽ, quomodo id in Hebræis contingebat.

Plut. 6. Synthomatum 8. dicit hoc nomen *Nauſea* deductũ fuiſſe a nauigantibus, eo quod ſæpe huiuſcemodi affectu afficiuntur. Multoties ſumimus Nauſeam impropriè pro auerſione

 ſione

ſione in cibum, quæ propriè faſtidium eſt: vel quia naturalis ſit circa talem cibum auerſio, vel quia ventriculus iam ſit nimis oppletus, ita vt vlteriorem alimenti quantitatem capere non poſsit. At propriè Galenus 1. de locis affectis 6. definit Nauſeam. Eſt continua, & frequens ad vomitum propenſio, quam tamen non ſequitur vomitus. Vnde alij maluerunt vanum vomendi deſiderium definire. Cauſatur ab humoribus ſua quantitate, vel qualitate facultatē expultricem ventriculi irritantibus. Nam etiā ſi in vomitu irritatur ventriculus; non ita tamē remiſsè, ac in Nauſea, in qua non determinatur ad actum expellendi ſicuti in vomitu. Neque ita extenſiuè; nam in Nauſea ſolum irritatio in ore ventriculi eſt; in vomitu vero in tota ventriculi capacitate reperitur.

Mercurialis lib. 3. de affectibus infimi vētris cap. 4. vt dicat cuius facultatis ſit Nauſea proprium ſymthoma dicit lædi tactiuam potentiam, quia percipitur in Nauſea moleſtia, & grauitas, cum ſit praua ſenſatio, & appetitiuam potentiam, quia appetunt, quod non deberent appetere; appetunt enim vomere, & facultatem expultricem, quia media ipſa ventriculus conatur expellere, quod noxam cauſat, & fa-

culta-

cultatem retentricem lædi similiter dicit; quia ita famulantur vel inseruiunt, vt læsa vna, altera similiter læsa maneat. Quæ quidem doctrina indigna est tanti viri. Nam vnicum obiectũ vnius potentiæ est proprium. Dico vnicum, id est, sub vnica ratione formali; nam sub diuersis ad plures potest se extendi potentias, vt tangibile quatenus tale ad tactum, quatenus gustabile ad gustum, & sic de cæteris qualitatibus. Sic igitur si Nausea est synthoma alicuius, & non ad tot facultates, debet esse determinatum synthoma, taliter vt nisi actio talis potentiæ lædatur non sit Nausea. Cum igitur nisi facultas expultrix irritetur ad vomendum non sit Nausea, proprium synthoma debet esse facultatis expultricis. Nihil ad formalitatem interest, quod præcedat immutatio realis tactus, nec sensatio de disconuenientia talis obiecti, neque cognitio superioris potentiæ de tali discõuenientia, neque quod consurgat appetitus actu desiderij circa expulsionem illius causæ Nauseam efficiẽtis; hæc enim omnia naturaliter contingunt in re, & modo, & de necessitate naturæ debent euenire, & omnia antecedenter, vel dispositiuè se habent ad nauseandi actum. Qui præter naturam est in a-

ctione deprauata aucta; quia scilicet nimiè irritatur natura ad expulsionem nociui. Et quamuis ex parte causæ talis irritatio est secundum naturam, ex parte facultatis est præter naturam. Vnde solummodo vnica in Nausea actio læsa reperitur facultatis naturalis expultricis, vt Galenus citato loco.

Vnde colligo quod Nausea, de qua in Sacro citato loco agitur non fuit propria, illa scilicet, quæ offensam facultatis expultricis ventriculi dicit. Nam cibus ille erat cœlestis, nequaquam poterat in ventriculo corrumpi; vel in iecore prauos generare humores, vt in ventriculum cadentes nauseabundos faceret Israelitas. Fuit enim Nausea impropria, quæ ex consuetudine, & frequentia illius cibi, & carentia diuersorum alimentorum ducebat originem. Cupiebant diuersa comedere, vt in Ægypto, alimenta, & non vnicum vt in deserto, & ita dicebant: *Deest panis, non sunt aquæ, anima nostra iã Nauseat super cibo isto leuissimo.* Ac si diceret; iam sumus molesti a cibo isto; iam nobis inducit fastidium, aliud, vel alia desideramus diuersa alimenta.

Dubitat Mercurialis citato loco, cur in mari nauigantibus, & non in fluminibus fiunt homines fere omnes nauseabundi? Respondet, quod

quod in mari ex insolito nauium odore, tum ex timore hominum ex mari mouetur humores ad os ventriculi, & fit Nausea. Hoc enim meo videri est falsum: nam in terra sunt multo maiores, & deteriores odores, & non fit Nausea. Neq; timor potest esse causa Nauseæ; quia per timorem non mouentur humores, & spiritus ad ventriculum, sed ad cor. Aliam itaque debebat inuestigare causam; & ex Hippocrate accipere, & non ipsum refutare 4. Aphor. 14. indicat autem nauigatio turbari motione corpus. Mercurialis existimat, quod in hac sententia loquitur Hippocrates de motione locali, vt de ambulatione. Qui fallitur, nam non diceret turbari. Perturbantur motione corpora, quando humores multi mouentur. In mari enim (nõ fuit creatus homo in mari, nihil mirum, quod alteretur, veluti extra suam existens sphæram) non solum ad ventriculum nauseandum mouentur humores, sed ad violentas vomitiones, ita vt (multoties) ex colericis, prauis, & multis humoribus fiant, & hominem (vt in colera morbo) resoluant, & interimant.

(§§)

CA.

CAPVT LVI.

De Singultu.

QVAM plurimæ sunt in Sacris Literis locutiones, quæ nõ significant, id quod literaliter sonant, sed per phrasim dicuntur. Sic enim existimo de Singultu scriptũ fuisse cap. 3. Thren. *Vocem meam audisti, ne auertas aurem tuam a Singultu meo, & clamoribus.* & 1. Reg. cap. 25. *Cum ergo fecerit Dominus tibi Domino meo omnia, quæ locutus est bona de te, & constituerit te Ducem super Israel, non erit tibi hoc in Singultum.* Existimo igitur non sumi hic Singultum propriè pro affectione, scilicet ventriculi, sed impropriè, vt Lyra non erit tibi hoc in Singultum, idest, in mœrorem animi, & conscientiæ remorsum.

Li. 1. Reg. c. 25. v. 31

Verumtamen vt aliquid pro Medico instituto de Singultu dicamus, aduertendum est, quod Singultus paſsio est ventriculi, & veluti conuulsio est, non tamen vera censetur, cum in musculis non fiat quo ad conuulsionis essentiam requiritur. Vẽtriculus musculosus nõ est, neque eius ostiolum, vt apertè Galenus demõ-

strat

ſtrat lib.6.de morbo, & Synthomate cap.2. vt cumque autem res ſe habeat motus, eſt ventriculi quoad expulſionem rerũ moleſtarum, aut quantitate aut qualitate moleſtantium. In hoc differt a Nauſea, & vomitione quod (vt ait Galenus) per vomitiones ea, quæ in ſpatio ventriculi continentur, expelluntur; per Singultum vero ea, quæ in vẽtriculi corpore, hoc eſt, inter tunicam, & tunicam. Fit generaliter Singultus (vt autor eſt Hippocrates ſect.7. Aphor.39.) aut a plenitudine aut inanitione, & propter has etiã cauſas ab humoribus irritantibus acri & mordaci facultate præditis, vt in malignis morbis contingit.

CAPVT LVII.

De Alui Languore inſanabili.

SECVNDO lib. Paralipom.21. mors Regis Ioram depingitur, & hæc ſunt verba. *Li.2.Par. cap.21. ver.8.* *Et ſuper hæc omnia percuſit eum Dominus Alui Languore inſanabili.*

Circa Langorem Alui inſanabilem poterit dubitari in præſenti, quæ nam intelligatur affectio prætet naturam, & in quo conſiſtat? Valleſius

sius cap. 40. Sacra Philosophiæ existimat talẽ Alui Languorẽ fuisse Diarream, tamen cũ Diarrea, siue Alui fluxus, vt in plurimum sit sanabilis, & Vallesius id non probet aliqua forti, vel efficati ratione, & dicat sacra Pagina Langorem fuisse insanabilem, videtur debere nos inquirere, sit ne aliquis Alui Languor ex sua natura semper insanabilis.

Circa quod aduertendum est, quod intestina, sicut ventriculus, constant facultatibus illis ministrantibus naturalibus, scilicet attractice retentrice, coctrice, & expultrice ad quarũ munus sunt fibræ rectæ, trãsuersæ, & obliquæ, & quod intestina continuãtur, cum vẽtriculi fundo, & ita quando dicitur de aliqua Alui affectione non solum intestina comprehenduntur, sed ventriculus ipse, & sic in præsenti videtur cum de aliui Languore agitur, quod pars affecta non solum sunt intestina, sed etiam ventriculus: cum enim Languor his omnibus sit cõmunis, scilicet ventriculo, & intestinis videtur esse intelligendum hanc passionem sub nomine Alui de ventriculo, & intestinis.

Apud Authores Zeliaca affectio inter affectus intestinorum collocatur; quia excrementa vel alimenta parum in ipsis detinentur, quia

ta-

tamen principalis conditio Zeliacæ est, vt alimentum incoctum expellatur; & hoc quod est concoquere principaliter ad ventriculum pertineat, & contingat multis Zeliacis expellere incoctum alimentum, etiam si sufficientissimum tempus vẽtriculus & intestina ipsum amplexerint. Hinc est quod passio sit communis Zeliaca, ventriculo, & intestinis. Et cum hoc quod est Languescere principaliter inttelligatur de facultate coctrice, & coctrix vigeat præcipuè in ventriculo, existimandum est, quod quando in dicto textu dictum fuit passionem Regis fuisse Alui Languorem insanabilem idẽ fuit quod dicere afficiebatur Zeliaca affectione, quę similiter dictarum partiũ affectio est.

Constabit hoc efficatius ex natura Zeliacæ affectionis. Ætius tetrabili 3. ser. 1. cap. 37. naturam Zeliacæ ita præscribit. Non omnis ventris fluxus Zeliaca affectio propriè appellatur, neque enim si cibi crudi, & incocti infernè prodeunt, neque si corrupti, & in peregrinum habitum mutati sũt, Zeliaca affectio vocatur; verum solum cum leuia, & humecta excrementa afferuntur, ventrem præ imbicillitate ea digerere nequeuntem. Areteus lib. 2 de signis, & causis diuturnorum affectuum cap. 7. dicit Ze-

liacus

liacus dicitur latinè ventricularis ob coquentis caloris imbecillitatem, frigiusque ventriculi, cum liquescit quidem a calore alimentum, sed non concoquit calor, neque in succum proprium vertit, semicoctum, imperfectumque relinquens, cũ perfectionem assequi nõ possit: Ex quibus rectè colligitur, quod Zeliaca affectio est Synthoma tertij generis, earũ rerũ quæ pellũtur, & ad coctionẽ detineri debebant, & quod pars affecta totus vẽter est, hoc est, nõ solũ intestina, sed ipse vẽtriculus, cuius præcipuũ munus est alimenta concoquere, & partem vtilem in Chylum substantificum transmutare. Quæ quidem substantia, siue succus albus est ad modum lactis, ex quo in hepate sanguis, & cæteri humores, ex partibus ipsis correspondentibus generantur ad totius corporis nutritionem. Cessante ergò actione alteratiua ventriculi, cessat sanguificatiua conuersio, hoc est, nutritio. Et cum calor naturalis cuiusuis partis sit agens in actu, exoluit, & consumit partes, vnde est, vt Zeliaci marcidi fiant, & insanabilis fiat affectio, moriunturque omnes, qui ad vltimum Zeliacum Languorẽ deuenerunt; quia tabe vniuersali totius corporis afficiuntur, vt ex contextu colligitur, cum mors Regis Io-

 vers. 19.

ram describitur. *Et super hæc omnia percussit eum Dominus Alui Languore insanabili; cumque diei succederet dies, & temporum spatia voluerentur duorum annorum expletus est circulus, & sic longa consumptus tabe, ita vt egererent etiam viscera sua Languore pariter, & vita caruit.*

CAPVT LVIII.

De Dyssenteria.

IN Actibus Apostolorum cap. 28. hæc legimus verba. *Contingit autem Patrem Publij Febribus, & Dyssenteria vexatum iacere.* Et etiam si in præfecti fiat mentio de Febribus, hic nihil circa ipsas dicam, quia proprio capite dictum fuit. Agam verò de Dyssenteria, de qua interpretes idem intelligunt, quod dolor viscerum: at medicè idem intelligitur, quod vlcus intestinorum; cuius signum pasonomonicum est sanguinis euacuatio per sedem cum torminibus, quibus signis differt ab alijs Dyssenterijæ spetiebus traditis à Galeno 6. de morbo, & synthomate cap. 2. ad finem, nam etsi ramenta, vel mucositates, pellantur cum doloribus, & torminibus, vt possit vocari Dyssenteria fiens, quã passus est Antiochus de quo 2. Machab. 9.

Acto. c. 28 ver. 8.

inni mentio

2. Lib. Machab. cap. 9. vir. 5.

mentio. *Apprehendit eum dolor viscerum, & amara internorum tormenta.* Adhuc tamen non est vlcus factum; quando verò iam est factum sanguis fluit, & tormina reperiuntur ab humoribus mordacibus, & est vera Dyssenteria. Nam quamuis in Dyssenteria hepatica fluat sanguis, non tamen est vera Dyssenteria, quia non reperitur dolor. Sanguis ille prę debilitate hepatis fluit, & multoties prorupta, vel resudata vena aliqua sanguinem ad ventrem transmittente fluentem.

In præsēti offert se difficultas quædā, an Dyssēteria (in sacrà Pagina relata) fuerit causa febris, an verò febris causa Dyssenteriæ. Quod Dyssenteria posset esse causa febris nulli erit dubiū; humor enim qui sua mordacitate decumbens ad ventrem, potens fuit erodere atque intestina exulcerare, necessarium fuit ipsa alterare, atque nimis calefacere, fluxionemq; ad partem vlceratam concitare, & febrem atque alia symthomata mortem minantia causare. Febris enim illa erit de natura diariarum, sicuti cæteræ febres ex inflammationibus ortæ. Quod febris posit esse causa Dyssenteriæ nulla est repugnātia, constat experientia quotidiana, & ratione. Quotidie enim obseruamus febricitantes in omni

omni febris tempore vniuersali, siue sit principium, augmentum, status, & declinatio Dyssenterias fieri. Ratio est quia si est in principio stante materia, cruda multoties à causa morbifica irrita natura, pellitur materia febrillis ad ventrẽ & Dyssenteriam efficit. In augmento (quando scilicet coctionis signa manifestantur) propter magnam humorum sarsinam, exoneratur natura per ventrem, & etiam si (synthomaticè) multoties æger liberetur Dyssenteria efficitur. In statu quotidiè videmus, & similiter in declinatione, quando scilicet materia, est perfectè cocta. Tunc enim propinamus medicamenta expurgantia. In principijs nullatenùs facimus, nisi cogat nos vrgentia, quia natura, & si aliquã partem acris humoris ad ventrem pellat, maiorem partem causæ morbificæ intendit ad coctionem detinere, & frustratur talis retentionis actus propinato medicamento expurganti. In declinatione etsi humor summè coctus est, est tamẽ summè putrefactus ita vt (multoties) partem quam tangat exulceret, vt in febribus experimur malignis, & ardẽtibus, & multoties iam febre sedata contingit occasione medicamẽti expurgantis Dyssentericum fieri ægrum.
Videtur igitur in præsenti (si litteram Textus

tus

ctione deprauata aucta; quia scilicet nimiè irritatur natura ad expulsionem nociui. Et quamuis ex parte causæ talis irritatio est secundum naturam, ex parte facultatis est præter naturam. Vnde solummodo vnica in Nausea actio læsa reperitur facultatis naturalis expultricis, vt Galenus citato loco.

Vnde colligo quod Nausea, de qua in Sacro citato loco agitur non fuit propria, illa scilicet, quæ offensam facultatis expultricis ventriculi dicit. Nam cibus ille erat cœlestis, nequaquam poterat in ventriculo corrumpi; vel in iecore prauos generare humores, vt in ventriculum cadentes nauseabundos faceret Israelitas. Fuit enim Nausea impropria, quæ ex consuetudine, & frequentia illius cibi, & carentia diuersorum alimentorum ducebat originem. Cupiebant diuersa comedere, vt in Ægypto, alimenta, & non vnicum vt in deserto, & ita dicebant: *Deest panis, non sunt aquæ, anima nostra iā Nauseat super cibo isto leuissimo.* Ac si diceret, iam sumus molesti a cibo isto, iam nobis inducit fastidium, aliud, vel alia desideramus diuersa alimenta.

Dubitat Mercurialis citato loco, cur in mari nauigantibus, & non in fluminibus fiunt homines fere omnes nauseabundi? Respondet, quod

quod in mari ex insolito nauium odore, tum ex timore hominum ex mari mouētur humores ad os ventriculi, & fit Nausea. Hoc enim meo videri est falsum: nam in terra sunt multo maiores, & deteriores odores, & non fit Nausea. Neq; timor potest esse causa Nauseæ; quia per timorem non mouentur humores, & spiritus ad ventriculum, sed ad cor. Aliam itaque debebat inuestigare causam; & ex Hippocrate accipere, & non ipsum refutare 4. Aphor. 14. indicat autem nauigatio turbari motione corpus. Mercurialis existimat, quod in hac sententia loquitur Hippocrates de motione locali, vt de ambulatione. Qui fallitur, nam non diceret turbari. Perturbantur motione corpora, quando humores multi mouentur. In mari enim (nō fuit creatus homo in mari, nihil mirum, quod alteretur, veluti extra suam existens sphæram) non solum ad ventriculum nauseandum mouentur humores, sed ad violentas vomitiones, ita vt (multoties) ex colericis, prauis, & multis humoribus fiant, & hominem (vt in colera morbo) resoluant, & interimant.

(§§)

CAPVT LVI.

De Singultu.

QVAM plurimæ ſunt in Sacris Literis locutiones, quæ nõ ſignificant, id quod literaliter ſonant, ſed per phraſim dicuntur. Sic enim exiſtimo de Singultu ſcriptũ fuiſſe cap. 3. Thren. *Vocem meam audiſti, ne auertas aurem tuam a Singultu meo, & clamoribus.* & 1. Reg. cap. 25. *Cum ergo fecerit Dominus tibi Domino meo omnia, quæ locutus eſt bona de te, & conſtituerit te Ducem ſuper Iſrael, non erit tibi hoc in Singultum.* Exiſtimo igitur non ſumi hic Singultum propriè pro affectione, ſcilicet ventriculi, ſed impropriè, vt Lyra non erit tibi hoc in Singultum, ideſt, in mœrorem animi, & conſcientiæ remorſum.

Li. 1. Reg. c. 25. v. 31

Verumtamen vt aliquid pro Medico inſtituto de Singultu dicamus, aduertendum eſt, quod Singultus paſsio eſt ventriculi, & veluti convulſio eſt, non tamen vera cenſetur, cum in muſculis non fiat quo ad convulſionis eſſentiam requiritur. Vẽtriculus muſculoſus nõ eſt, neque eius oſtiolum, vt apertè Galenus demõ-

ſtrat

ſtrat lib.6.de morbo, & Synthomate cap.2. vt cumque autem res ſe habeat motus, eſt ventriculi quoad expulſionem rerũ moleſtarum, aut quantitate aut qualitate moleſtantium. In hoc differt a Nauſea, & vomitione quod (vt ait Galenus) per vomitiones ea, quæ in ſpatio ventriculi continentur, expelluntur; per Singultum vero ea, quæ in vẽtriculi corpore, hoc eſt, inter tunicam, & tunicam. Fit generaliter Singultus (vt autor eſt Hippocrates ſect.7. Aphor.39.) aut a plenitudine aut inanitione, & propter has etiã cauſas ab humoribus irritantibus acri & mordaci facultate præditis, vt in malignis morbis contingit.

CAPVT LVII.

De Alui Languore inſanabili.

SECVNDO lib. Paralipom. 21. mors Regis Ioram depingitur, & hæc ſunt verba. *Li.2.Par. cap.21. ver.8.* *Et ſuper hæc omnia percuſit eum Dominus Alui Languore inſanabili.*

Circa Langorem Alui inſanabilem poterit dubitari in præſenti, quæ nam intelligatur affectio prætet naturam, & in quo conſiſtat? Valleſius

sius cap. 40. Sacra Philosophiæ existimat talẽ Alui Languorẽ fuisse Diarream, tamen cũ Diarrea, siue Alui fluxus, vt in plurimum sit sanabilis, & Vallesius id non probet aliqua forti, vel efficati ratione, & dicat sacra Pagina Langorem fuisse insanabilem, videtur debere nos inquirere, sit ne aliquis Alui Languor ex sua natura semper insanabilis.

Circa quod aduertendum est, quod intestina, sicut ventriculus, constant facultatibus illis ministrantibus naturalibus, scilicet attractice retentrice, coctrice, & expultrice ad quarũ munus sunt fibræ rectæ, trãsuersæ, & obliquæ, & quod intestina continuãtur, cum vẽtriculi fundo, & ita quando dicitur de aliqua Alui affectione non solum intestina comprehenduntur, sed ventriculus ipse, & sic in præsenti videtur cum de aliui Languore agitur, quod pars affecta non solum sunt intestina, sed etiam ventriculus: cum enim Languor his omnibus sit cõmunis, scilicet ventriculo, & intestinis videtur esse intelligendum hanc pafsionem sub nomine Alui de ventriculo, & intestinis.

Apud Authores Zeliaca affectio inter affectus intestinorum collocatur; quia excrementa vel alimenta parum in ipsis detinentur; quia

ta-

tamen principalis conditio Zeliacæ eſt, vt alimentum incoctum expellatur; & hoc quod eſt concoquere principaliter ad ventriculum pertineat, & contingat multis Zeliacis expellere incoctum alimentum, etiam ſi ſufficientiſsimum tempus vẽtriculus & inteſtina ipſum amplexerint. Hinc eſt quod paſsio ſit communis Zeliaca, ventriculo, & inteſtinis. Et cum hoc quod eſt Langueſcere principaliter inttelligatur de facultate coctrice, & coctrix vigeat præcipuè in ventriculo, exiſtimandum eſt, quod quando in dicto textu dictum fuit paſsionem Regis fuiſſe Alui Languorem inſanabilem idẽ fuit quod dicere afficiebatur Zeliaca affectione, quę ſimiliter dictarum partiũ affectio eſt.

Conſtabit hoc efficatius ex natura Zeliacæ affectionis. Ætius tetrabili 3. ſer. 1. cap. 37. naturam Zeliacæ ita præſcribit. Non omnis ventris fluxus Zeliaca affectio propriè appellatur, neque enim ſi cibi crudi, & incocti infernè prodeunt, neque ſi corrupti, & in peregrinum habitum mutati ſũt, Zeliaca affectio vocatur; verum ſolum cum leuia, & humecta excrementa afferuntur, ventrem præ imbicillitate ea digerere nequeuntem. Areteus lib. 2 de ſignis, & cauſis diuturnorum affectuum cap. 7. dicit Zeliacus

liacus dicitur, latinè ventricularis ob coquentis caloris imbecillitatem, frigiusque ventriculi, cum liquescit quidem a calore alimentum, sed non concoquit calor, neque in succum proprium vertit, semicoctum, imperfectumque relinquens, cũ perfectionem assequi nõ possit. Ex quibus rectè colligitur, quod Zeliaca affectio est Synthoma tertij generis, carũ rerũ quæ pellũtur, & ad coctionẽ detineri debebant, & quod pars affecta totus vẽter est, hoc est, nõ solũ intestina, sed ipse vẽtriculus, cuius præcipuũ munus est alimenta concoquere, & partem vtilem in Chylum substantificum transmutare. Quæ quidem substantia, siue succus albus est ad modum lactis, ex quo in hepate sanguis, & cæteri humores, ex partibus ipsis correspondentibus generantur ad totius corporis nutritionem. Cessante ergò actione alteratiua ventriculi, cessat sanguificatiua conuersio, hoc est, nutritio. Et cum calor naturalis cuiusuis partis sit agens in actu, exoluit, & consumit partes, vnde est, vt Zeliaci marcidi fiant, & insanabilis fiat affectio, moriunturque omnes, qui ad vltimum Zeliacum Languorẽ deuenerunt; quia tabe vniuersali totius corporis afficiuntur, vt ex contextu colligitur, cum mors Regis Io-

ram

 vers. 19.

ram describitur. *Et super hæc omnia percusit eum Dominus Alui Languore insanabili; cumque dici succederet dies, & temporum spatia voluerentur duorum annorum expletus est circulus, & sic longa consumptus tabe, ita vt egererent etiam viscera sua Languore pariter, & vita caruit.*

CAPVT LVIII.

De Dyssenteria.

IN Actibus Apostolorum cap. 28. hæc legimus verba. *Contingit autem Patrem Publij Febribus, & Dyssenteria vexatum iacere.* Et etiam si in præfecti fiat mentio de Febribus, hic nihil circa ipsas dicam, quia proprio capite dictum fuit. Agam verò de Dyssenteria, de qua interpretes idem intelligunt, quod dolor viscerum: at medicè idem intelligitur, quod vlcus intestinorum, cuius signum pasonomonicum est sanguinis euacuatio per sedem cum torminibus, quibus signis differt ab alijs Dyssenterijæ speciebus traditis à Galeno 6. de morbo, & synthomate cap. 2. ad finem, nam etsi ramenta, vel mucositates, pellantur cum doloribus, & torminibus, vt possit vocari Dyssenteria fiens, quā passus est Antiochus de quo 2. Machab. 9. *Acto. c. 28. ver. 8.*

mentio

omni febris tempore vniuersali, siue sit principium, augmentum, status, & declinatio Dyssenterias fieri. Ratio est quia si est in principio stante materia, cruda multoties à causa morbifica irrita natura, pellitur materia febrillis ad ventrē & Dyssenteriam efficit. In augmento (quando scilicet coctionis signa manifestantur) propter magnam humorum sarsinam, exoneratur natura per ventrem, & etiam si (synthomaticè) multoties æger liberetur Dyssenteria efficitur. In statu quotidiè videmus, & similiter in declinatione, quando scilicet materia, est perfectè cocta. Tunc enim propinamus medicamenta expurgantia. In principijs nullatenùs facimus, nisi cogat nos vrgentia, quia natura, & si aliquā partem acris humoris ad ventrem pellat, maiorem partem causæ morbificæ intendit ad coctionem detinere, & frustratur talis retentionis actus propinato medicamento expurganti. In declinatione etsi humor sumè coctus est, est tamē summè putrefactus ita vt (multoties) partem quam tangat exulceret, vt in febribus experimur malignis, & ardētibus, & multoties iam febre sedata contingit occasione medicamēti expurgantis Dyssentericum fieri ægrum.

Videtur igitur in præsenti (si litteram Textus

tus attendimus) Dyssenteriam non fuisse causam febris. Diceret incipiendo per causam, & postea per effectum, Dyssenteria, & febribus vexatum iacere, & cum non dicat nisi febribus, & Dyssenteria correptū iacere; videtur quod debeamus intelligere, quod febris illa erat putrida orta a putrefactione in facto esse in humoribus. Non enim si esset spirituosa, vel hectica Dyssenteriam causaret. Cum ergò ab humoribus mordacibus vnitatem soluentibus, intestinaque errodentes ortum duxerit, existimandum est, quod erat putrida febris. Et etiā sicut dixi in omnibus temporibus non implicet fieri Dyssenteriam; tamen quia vt in plurimum contingit quando, non est cocta materia, coniecturam facimus contigisse in principio, vel augmento vniuersali febris.

CAPVT LIX.

De Deuirginatione.

Eccles. cap. 20. vers. 3.

CAPVT 20. Ecclesiastici hæc sunt ferè in principio scripta verba: *Concupiscentia Spadonis Deuirginauit iuvenculam. Sic qui facit per vim iudicium iniquum.* Differunt Spa-

Spadones, & Eunichi, maximè (vt proprio cap. de Eunuchismo constabit) nam qui Spadones sunt nullius partis mutilationem patiuntur, sed naturale quoddam vitium est, ratione cuius etiam si congredi possunt, & erigunt, & stimulantur ad Venerem; clausa est via, vasorum scilicet spermaticorum, ita vt non possint semen emittere, atque adeo neque generare. Morbus est partis organicæ in via; nam cum clausa, & patens debeat esse, redditur angusta, vel clausa. Eunuchi non ita se habent, nam cum mutilati sint, stractosque testiculos habeant, ipsorum defectu (quia sunt partes principes ad speciei propagationem) generare non possunt. Spadones naturaliter concupiscentia afficiuntur; quia cum semen emittere non possint ob ipsius retentionem maximoperè ad Venerem stimulantur. Cum ergò quidam deuirginaret iuvenculam concupiscentia affectus, & vt tenet Lyra, macularet virginem, & nec generat sobolem. Ita violentia iniqui stimulat iudicium, & non seruat æquitatis modum. Restat in præsenti quid sit Deuirginatio, & qui bus forsan cognoscatur signis scrutari.

Circa quod maximi momenti erit locus

Deut. cap. 22. vers. 13.

ille 22. Deuteron. *Si duxerit vir vxorem, & postea odio habuerit eam, quæsieritque occasiones, quibus demittat eam, obijciens ei nomen pessimum, & dixerit vxorem hanc accepi, & ingressus ad eam, non inueni Virginem: tollent eam pater & mater eius, & ferrent secum signa Virginitatis eius, & Seniores vrbis, qui in porta ciuitatis sunt, & dicet pater, filiam meam dedi huic vxorem, quam quia odit, imponit ei nomen pessimum, vt dicat non inueni filiam tuam Virginem, & ecce hæc sunt signa Virginitatis filiæ meæ. Expendent vestimentum coram senioribus ciuitatis.* Quibus verbis cōstat apud Hebręos de more positum fuisse, vt mulieres desponsatæ, quando cum Viris congrediebantur linteum extenderent, vt quādo coirent, & devirginarentur, sanguis supra linteum profluerent in signum virginitatis suæ, ipsumque parentibus daretur, vt seruarent, & virginitatem, integritatemque filiæ magni haberēt. Cōstat ergo ex his, quod Devirginatio in cōgressu illo primo, quo violēter mēbrū virile in vterū fęmineum ingreditur, magnū concitans dolorem, sanguinisque fluxum causans cōsistit.

Circa quod dubitari poterit, an Devirginatio in solutione cōtinuitatis consistat, an vero in apertione contiguitatis, hoc est, in dilatatione,

vel

vel extensione partium contiguarum. Constat enim quod natura non minus amat continuitatem, quam contiguitatem membri (verbi gratia musculi) Quam plurimæ reperiuntur partes inter se contiguitatem habentes, vt membrum illud organicum componant, neruus carni est contiguus, vena & arteria, & similiter tẽdo. Si enim inter illas (corrupendo contiguitatem) causa violenter ingrediatur, certum est, quod non solum dolorem, sed sanguinis fluxũ causabit. Sic igitur quando virgines devirginantur poterit contingere, quod nulla sit continuitatis solutio, membranæ, vel alterius partis, sed tantummodo contiguitatis violenta apertio. In disectionibus anothomicis tam mulierum corruptarum, quàm non corruptarum nũquam ab Anothomicis fuit visa pars aliqua, vel membrana, quæ veluti porta sit ad virginalia claustra. Sicuti enim homo devirginatur ex congressu cum muliere, sic iuvencula devirginatur ex congressu tantummodo viri cum ipsa; quod fluat sanguis per accidens se habet ad rationem virginitatis. Neque quod in primo coitu sit dolor. Non enim implicat, quod mẽbrũ virile sit angustum, & breue, & vterus ita dilatatus, & amplus naturaliter, vt nullatenus illa

violẽtia, quæ ex angustia oris vteri, & dolorosa sensatio, quæ ex vehementi, & inusitata confricatione persentiatur; & ex consequenti neq; sanguinis aliqua effluat guttula. Vnde signum illud virginitatis ab Hæbreis obseruatum non erat, neque est securum; debebat enim infalibilitatem habere, præcipuè si pars aliqua, vel mẽbrana solueretur, vel discontinuaretur, rumpereturque; infalibile enim est, quod si aliqua vena adhuc capillaris soluitur, fluit sanguis; cum enim ex violenta apertione in primo congressu pars violentèr aperiatur, inusitateq; confricetur venulæ exiguæ capillares similiter dilacerantur, & ex ipsis fluit sanguis, vt in plurimum. In aliquibus in magna, in alijs in parua, & alijs in nulla quantitate. Huic sententiæ fauet Abulensis, Cornelius, & Franciscus Vallesius, vir in Philosophia, & Medicina doctissimus cap. 25 suæ sacræ Philosophiæ; nec non D. Iosephus Pellicer Magni Philippi Quarti, Maior Historiographus, in suis Lectionibus circa D. Ludouicũ de Gongora fol. 496. Vnde euenit, quod sine medicamenta ad ementiendam virginitatem, dummodo partes illę, quę nimphæ vocantur in ore vteri collocatæ in nouè nupta corrugantur, & astringuntur, ita vt præ ipsarum clausura,

sine

siue cõstrictione inusitatæ videantur vel perse-tiantur, & sanguinis aliqua portio ex violenta viri ruptione fluat, vel reperiatur. Hoc enim clarè constabit cui perlegerit libellum Galleni de dissectione vuluæ, & multo magis si curiosè aliquam dissectionem alicuius virginis videre procurauerit.

CAPVT LX.

De Eunuchismo.

AGIMVS in præsenti de Eunuchismo, non quia sit morbus, neque quid præter naturam, sed quia est modus, quo tales homines mutilantur, de quo Medici multi agunt, & præcipuè Paulus lib. 6. docet latè, modos, quibus homines tali afficiuntur affectione, quod quidem antiquissimum est, vt Genesis 37. *Gen. c. 37. vers. & c. 39. ver. 1.* & 39. *Igitur Ioseph ductus est in Ægyptum, emitq; eum Putiphar Eunuchus Pharaonis Princeps exercitus sui.* Erant enim, secundum Cornelium, Eunuchi Regum Cubicularij, & ipsorum ministri. Et nunc Princeps Maurorum, Turcarũque ad eundem vsum in domibus, vel palacijs suis habere quamplurimos Eunuchos ad mulie-

rum custodiam scimus. Hanc ob causam plurimi filios suos tenellos Eunuchos faciebant, & hodie in aliquibus Hispaniæ partibus, si non ad talem vsum (propter aliquem morbum) Eunuchos ipsos faciunt, quia scilicet acutam, tenuissimam, & suauem habent vocem, & musicis caracteribus instruūtur, vt in Ecclesia Deū laudent, vocibusque exaltent. Apud Deutero. cap. 23. non ita strictè sumitur Eunuchismus; nam non solum excluditur ab Ecclesia Eunuchus, (ille scilicet, qui mutilatos habet testiculos) sed Spado, ille scilicet, qui ipsos attritos habet, vel vasa ipsa spermatica contorta, vel resiccata. *Non intrabit Eunuchus attritis vel amputatis testiculis in Ecclesiam Domini.* Quidam testiculos attridebāt puellorum, mittendo ipsos prius in balneo, vt humiditate, & calore magis laxa pars redderetur, & paulatim testiculos attridebant, vsque dum veluti dissipati euanescerent, vel contorquebant ipsos, vt alimentum ipsis deficeret. Eunuchismum Græci vocabant: & his duobus fiebat modis, & hos omnes prohibebat Moyses ingredi in Ecclesiam, quasi imperfectos, & mutilatos homines.

Deuter. c. 23. ver. 1.

Circa hanc rem est dificultas, quare ex Eunuchismo vox dilicata, & affæminata fiat, & pilli

pilli barbæ pudendorumque deficiant. Nam virilitas non consistit in hoc, quod est habere testiculos, sed in quadam qualitate a principijs generationis in omnibus partibus corporis cõtracta, præcipuè in principibus, ratione cuius spetie differt cor hominis a corde mulieris, & hepar, & cerebrum hominis ab hepate, & cerebro mulieris. Testiculi etenim solum sunt vt signum virilitatis, & vt in ipsis semen generetur; cum ergò deficientibus testiculis talis qualitas non possit deperdi, colligitur quod testiculi non influunt in corpus qualitatem necessariam, ob quam virile appelletur. Vnde Eunuchus vir appellatur, etiam si imperfectus, & mutilatus. Rationem ex Galleno colligere possumus; nam in primum Proriticorum Hippocrat. Comm. 2. dicit, quod Spadones, pueri, & mulieres vocẽ reddũt acutã, quia vocalia instrumenta angustiora sunt, & lib. 1. de Pharmacorum comp. secundum loca cap. 2. tenet quod Eunuchi habent similem temperiem cum mulieribus, vt ex cutis tactu est videre. Cum ergò mulieres sua natura sint frigidæ, & humidæ respectu virorum, existimandum erit, quod Eunuchi ex sua natura sunt frigidi, & humidi, & cum caloris sit extendere, & laxare, sicuti fri-

gidi-

rum custodiam scimus. Hanc ob causam plurimi filios suos tenellos Eunuchos faciebant, & hodie in aliquibus Hispaniæ partibus, si non ad talem vsum (propter aliquem morbum) Eunuchos ipsos faciunt, quia scilicet acutam, tenuissimam, & suauem habent vocem, & musicis caracteribus instruūtur, vt in Ecclesia Deū laudent, vocibusque exaltent. Apud Deutero. cap. 23. non ita stricte sumitur Eunuchismus; nam non solum excluditur ab Ecclesia Eunuchus, (ille scilicet, qui mutilatos habet testiculos) sed Spado, ille scilicet, qui ipsos attritos habet, vel vasa ipsa spermatica contorta, vel resiccata. *Non intrabit Eunuchus attritis vel amputatis testiculis in Ecclesiam Domini.* Quidam testiculos attridebāt puellorum, mittendo ipsos prius in balneo, vt humiditate, & calore magis laxa pars redderetur, & paulatim testiculos attridebant, vsque dum veluti dissipati evanescerent, vel contorquebant ipsos, vt alimentum ipsis deficeret. Eunuchismum Græci vocabant: & his duobus fiebat modis, & hos omnes prohibebat Moyses ingredi in Ecclesiam, quasi imperfectos, & mutilatos homines.

Deuter. c. 23. ver. 1.

Circa hanc rem est dificultas, quare ex Eunuchismo vox dilicata, & affæminata fiat, &

pilli

pilli barbæ pudendorumque deficiant. Nam virilitas non consistit in hoc, quod est habere testiculos, sed in quadam qualitate a principijs generationis in omnibus partibus corporis cõtracta, præcipuè in principibus, ratione cuius spetie differt cor hominis a corde mulieris, & hepar, & cerebrum hominis ab hepate, & cerebro mulieris. Testiculi etenim solum sunt vt signum virilitatis, & vt in ipsis semen generetur: cum ergò deficientibus testiculis talis qualitas non possit deperdi, colligitur quod testiculi non influunt in corpus qualitatem necessariam, ob quam virile appelletur. Vnde Eunuchus vir appellatur, etiam si imperfectus, & mutilatus. Rationem ex Galleno colligere possumus; nam in primum Proriticorum Hippocrat. Comm. 2. dicit, quod Spadones, pueri, & mulieres vocẽ reddũt acutã, quia vocalia instrumenta angustiora sunt, & lib. 1. de Pharmacorum compo. secundum loca cap. 2. tenet quod Eunuchi habent similem temperiem cum mulieribus, vt ex cutis tactu est videre. Cum ergò mulieres sua natura sint frigidæ, & humidæ respectu virorum, existimandum erit, quod Eunuchi ex sua natura sunt frigidi, & humidi, & cum caloris sit extendere, & laxare, sicuti frigidi-

giditatis desare, & congregare. Hinc est, quod homines, quando ad adultam perueniunt ætatem, quando scilicet multum humidum est cõsumptum vocem emittunt magnam, & fortẽ, quia vocis instrumenta destituta sunt ab humiditate, quæ ipsa angusta faciebat. Eunuchi etenim cum in frigiditate, & humiditate habeant se vt mulieres, & pueri, qui angusta habent instrumẽta ad vocem formandam, vocem emittunt acutam. At proueniat talis frigiditas, & humiditas ex testiculorũ amputatione est difficultas. Nam testes non sunt calidiores corde: cor enim calidius omnium viuentium partium est, & habet in actu, quod cæteræ partes habent in actu, & potẽtia. Ergò nihil inter est, quod deficiant testes, qui verbi gratia sunt calidi vt vnũ, si remanet principalior pars calida, similiter vt quatuor. His non obstantibus existimandum est, frigidiores, humidiores, moliores, & debiliores esse Eunuchos ob testiculorum amputationem; quia etiam si cor suo calore intensiori internas, & externas foueat partes, testes tamen per excellentiam partes externas respiciunt, vt principes externarum partium, & ita amputatis testibus, vel compressis deficit ad externas influxus, & ita marcescunt, cutis densatur, &

barba

barba ob densitatem impeditur, & faciem rugarum plenam videmus.

CAPVT LXI.

De Infæcunditate.

SVMIMVS occasionem, vt de Infæcunditate agamus ex 30. cap. Genesis in quo sic incipimus legere. *Cernens autem Rachel quod Infæcunda esset.* Et cum Fæcunditas tam viris quàm mulieribus conueniat (nã Fæcũdos homines dicimus esse, Fæcundasque mulieres) ita Infæcunditas passio erit vtriusque sexus communis, & ita vt constet quid sit Infæcunditas, quæ quid præter naturam est, prius quid sit, & in quo consistat fecunditas, quæ secundum naturam est, declarandum erit.

Gene. c. 30. ver. 1.

Fæcundum hominem illum vocamus, cuius semen plurimos generat filios, sine praua conformatione, deformositate, vel monstruositate. Et illa est Fæcunda mulier, quæ plurimos similiter concipit, & ad legitimum temporis partum perducit, & parit. Si enim ante tẽpus debitum fæturas abortat (etiam si quantum ad actum concipiendi sit verè Fæcunda) erit Infæcunda

cunda, quia terminum, siue maturum partus tempus non compleuit: est enim conceptionis naturalis terminus partus. Sicuti enim non sufficit, vt arbores sint fructiferæ, quod suo tempore virescant, & florescant, sed quod fructus in arbore maturitatem accipiat perfectam. Ita non sufficit ad Fæcunditatem (fæturæ enim fructus viuentes sunt) quod plures vir sit potens generare, & pluries mulier concipiat, sed quod ad tempus legitimum partus, conceptus perueniant. Vnde Infæcunditas in isto sensu actio diminuta generatiuæ facultatis erit a morbo aliquo in intemperie contracto in semine virili ratione cuius actio virilis seminis in fæmineum sit frustranea, & infructuosa. Potest etiam contingere, quod Infæcunditas actio sit synthomatica deprauata generatiuæ facultatis: nam multoties mola concipitur, & monstruosum quid; tunc enim deprauatio reperitur; quia error inuenitur, & talis Infæcundus vel Infæcunda debet similiter appellari, quia terminus generationis frustratur. Multoties accipitur Infæcunditas lato modo pro sterilitate. Propriè autem & verè Infæcunditas, & sterilitas in aliquo differunt. Nam quamuis omnis sterilis sit Infæcundus, non tamen è contra, omnis Infæ-

cundus

:undus est sterilis. Sterilitas enim actio ablata :st generatiuæ potentiæ (naturaliter loquendo) & infecunditas aliquando actio est diminuta, aliquando (vt dictum est) deprauata. Sterilis ille est, qui numquam generauit, vel illa est, quæ numquam concepit (vt cap. sequenti constauit) sicuti cæcitas, quæ actio ablata est visus; quæ autem cõcepit, & perfectum fœtum in lucẽ nõ ederit infæcunda est. Colligi meo videri potest hoc ex Exodi cap. 23. inter beneficia, quæ Deus suo promittit populo, vnum est ipsum liberare ab infæcunditate, & Serilitate: *Non erit infæcũda nec sterilis in terra tua.* Si enim vnũ, & idem esset infęcunditas, & Sterilitas promitteret solum de infæcunditate, non simul de Sterilitate. Ac si diceret, non solum, non erit mulier aliqua infæcunda, sed neque Sterilis. Omnes concipient, & omnes perfectum parient fœtum in tempore debito a natura statuto. Exod. 23. c. vers. 26.

(∴)

CAP.

CAPVT LII.

De Sterilitate.

EX superiori cap. constat quid sit Sterilitas, quia infæcunditas via est ad Sterilitatem tãquam ad terminum: nam hæc actio est ablata generationis, & illa diminuta. Et quãuis videatur lato modo, & frequentius de actione concipiendi, quę fœminei sexus est vsurpari Sterilitatem, tamen propriè de generatiua potentia vtriusque sexus communis dicitur, non solum in humana specie, sed in alijs diuersorũ animalium speciebus. Hoc constat ex cap. 7. Deuter. *Benedictus eris inter omnes populos. Non erit apud te sterilis vtriusque sexus, tam in hominibus, quam in gregibus tuis.* Erat enim apud Hebræos Sterilitas nota quasi infamiæ, vt Cornelius, & idipsum hodie contemplantur Hebræi, qui sub patrocinio nostri inuictissimi Hispani Regis in ciuitate Oran existunt. Et illa particula *Hominibus*, existimo mulieres comprehendere. Et non solum Sterilitatis ratio ad viuentes res, vt vegetabilia extendi videtur posse, sed ad non viuentes. Nam terra Sterilis dicitur, quãdo

Deut. ca. 7. vers. 14.

do non germinat fructus, vt Genesis cap. 26. *Orta autem fame super terram, post eam Sterilitatem, quæ acciderat in diebus Abraham.* Similiter 4. lib. Reg. cap. 2. de elemento aquę id ipsum intelligi posse videtur, quando Elisæus benedixit aquis, quæ quia pessimæ erant inutiles, & Steriles ad terram fructificandam, & ait: *Hæc dixit Dominus, sanaui aquas has, & non erit vltra in eis mors, neque Sterilitas.* Et Plinius lib. 31. cap. 2. refert aquam esse in Campaniæ Regione Sterilitatem viris & fæminis causantem. Vnde constat etiam de non viuentibus dici hanc affectionem, non quia generatiua sint: nam hæc actio viuentium propria est, sed quia causaliter inducunt qualitatem in viuentibus, in qua Sterilitas consistit. Spiritualiter similiter potest sumi Sterilitas, quando anima non operatur bona, vt Psalmo. 34. *Retribuebant mala pro bonis Sterilitatem animæ meæ.* Verumtamen vbi proprissime loquitur de Sterilitate ad diuersitatem infæcunditatis est in cap 11. Genesis (loquitur de vxore Abraham, quæ vocabatur Sarai). *Erat autem Sarai Sterilis, non habebat liberos.* Ac si diceret, non erat Sterilis quomodocumque, sicuti aliæ infæcundæ, quæ abortiuos habent partus, vel monstruosos (fæcundæ etenim nonum attingunt intra vterũ

Genes cap. 26. vers. 1.
4. lib. Reg. c. 2. vers. 21.
Psal. 34. v. 12.

mēn.

mensem) nullos habebat liberos, quia Sterilis erat, & reddit rationem cap. 18. Genesis. *Erant autem senes prouectæ ætatis, & desierant Sarræ fieri muliebria.* Itaque senectus ob frigidam, & siccã temperaturam, in qua spiritus vitales minimè abundant, & sanguis intra venas ferè concrescit Sterilitatem parit, & si muliebria ob dictam causam deficiant concipere naturaliter mulier non potest.

Genes. cap. 18. ver. 1.

At in quo consistat Sterilitas tam maribus, quam fœminis ad nos attinet declarare. Communem esse hominis generationem cum reliquis animalibus, & cæteris naturæ operibus naturalissimam, & perfectissimam demonstrat Aristoteles 2. de Generat. Animalium. Et Galenus 2. lib. de Vsu partium cap. 14. dicit, quod cum animalia sempiterna esse nõ possint propter naturalem interitum continua generatione id præstant. Ex quo factum esse scripsit Galenus vt omnibus animalibus generandi instrumenta concessa sint, etiam rationis expertibus. Aliqui existimant Sterilitatem consistere in mala pudendorum compositione, vel conformatione maris vel fæminæ, vel tumore, vel cicatrice, vel intemperie totius corporis, vel partium principum, vel ipsarum partium generationi dicatarũ

vel

vel seminis fœminei, vel virilis, (fœminæ enim verum emittunt semen secundum communem Medicorum opinionem, quamuis non ita prolificum, hoc est spirituosum) quod omne causaliter esse intelligendum existimamus, non vero essentialiter: nam generatio potentiæ generatiuæ est, quæ ab alijs potentijs realiter differt: nam terminatur si est partialis ad substantiam partialem, quæ in continua nutritione propter continuam disipationem substātificam verificatur; si autem est totalis ad cuiusdam totius productionem. Ablatio namque huius potentiæ non consistit in defectu amplexus ipsius vteri, vel clausuræ ipsius oris, ratione cuius sperma nō detinetur, vt fiat conceptio. Neque consistit in potentia organizandi, configurandi, vel delineandi: nam hæc diuersa est potentia ad quātitatem tali modo dispositam cum determinato lineæ puncto terminatur. Consistitque vera sterilitas (siue ablatio generatiuæ potentiæ) in quadam qualitate secunda ortum ducente à proportione indebita primarum, ratione cuius semē quod emittitur (siue affectio sit viri, siue fœminæ) habet solum rationem excrementi, minimè vero est vtile ad generationem.

Circa partem ex qua semen emittitur variè

loquuntur Medici: nam quidam ex toto corpore, & quidam ex solis testiculis aiunt confluere, & ita in illorum opinione talis qualitas in semine ex distemperie totius contrahetur. Si vero ex solis testibus, ex ipsis passio procedit, sicuti quando partialis non fit generatio, vt in hecticis, marcidis, & atrophidis contingit.

CAPVT LXIII.

De Aborsu.

Iob. c. 21. vers. 10.

PAVCA De hoc affectu ex sacris possunt colligi Litteris Iob. 21. (cum loqueretur ad impios, inter ipsorum prosperitates refert) *Bos eorum concepit, & non abortiuit: vacca peperit, & non est priuata fœtu suo.* Ex quibus verbis colligitur, quod hoc quod est abortare, siue immaturum, vel imperfectum extra vterum pellere fœtum (vt Hippoc. 6. epidemion sect. 1. comm. 2. in principio) quid commune est omnibus animalibus, cuiusvis sint speciei, dummodo ante consummatum tempus contingat. Habent enim animalia (pro specierum varietate) ad partum naturalem diuersa tempora, & vni-

vnicuique speciei determinatum tempus, sicuti fœminæ humanæ ad partum naturalem nonum mensem; quia in illo fœtus prorsus adaucti cordis indiget aeris attẽperatione, quę nisi media respiratione, & hæc nisi extra vterũ consequitur, & ita si fætura ante tempus signatum pellitur, Aborsus appellatur. Quæ quidem fæturæ expulsio actio deprauata facultatis vteri expultricis est à causa irritante ante tempus ad expulsionem. Et quamuis aliquibus visum fuerit ad retentricem potius hanc affectionem pertinere, falluntur; quia nunquam ita vehementer vterus debilitatur, vt ex vi solius debilitatis Aborsus causetur. Constat enim experimento quam plurimas mulieres mori vtero gerentes in vltima potius corporis, omniumque facultatum debilitate, vel languore, & nihilominus, nisi superueniat causa irritans expultricem non abortare, imo euenit necessarium esse post mortem fœtum (facta iuxta vmbilicum scisura) extrahere. Vnde cæsar, ita cognominatum fuit.

In præsenti poterit quis dubitare, an sit verus Aborsus expulsio, quæ in primis ante septimum diem contingit. Nam Arist. lib. 7. de Historia animalium, cap. 3. tantummodo Aborsum dicendum esse existimat, postquam con-

ceptus integer factus est; antea vero potius effluxiones nominandas esse tenet. Cui sententiæ maximopere fauet Hippocrates, qui lib. de carnibus vitam hominis septem dierum esse dixit, quem in hac re secutus etiam est Galenus. Verumtamen si rigurosè sumatur, ratio formalis conceptionis, quæ ad generationem, vt propriũ finem in retentione spermatis consistit, & in primis diebus vterus actuare, & qualitate quadam innominata sopitam illam facultatem generatricem spermatis excitare incipit, nulli dubium erit Aborsum esse: quod enim fætura sit maior; vel minor, non ex eo natura affectus, nempè Aborsus variatur. Bene verum est, quod frequentius sumitur Aborsus pro illis primis diebus, in quibus fætus non informatur anima; vt ex cap. 3. Iob, colligitur. *Aut sicut abortiuum absconditum non subsistentem, vel qui concepti non viderunt lucem.* Vocat enim abortiuum, quando adhuc non subsistit, hoc est, non informatur anima. Quando verò anima informantur concepti à sancto Propheta appellantur, etiam si ante tempus, antequam scilicèt videant lucem pellantur. Et Numer. 12. *Et ecce Maria apparuit candens lepra quasi nix, cumque respexisset eã Aren, & vi-*

Iob. c. 3. vers. 16.

Numer. c. 12. vers. 12.

& vidisset perfusam lepra ait, ad Moysem obsecro Domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum, quod stultè comisimus, ne fiat hæc quasi mortua, & vt abortiuum, quod projcitur de vulua matris suæ. Vox abortiuũ quid quasi incapax mortis, quia caret vita, significare videtur.

Habet locum in presenti dubitatio quædam, an in casu honoris vrgentiæ, vel in periculo vitæ posit Medicus vtero gerenti aborsum conciliare, vel remedio aliquo procurare in illis primis conceptionis diebus, adhuc ante septimum diem? Ad quod respondeo negatiuè, & dignum esse punitione Medicum, si per se intendat aborsum; minimè si ex accidenti contingat propter aliquod remedium ad liberandam matrẽ a morte. Quam magnum sit crimen istud causandi aborsum constat ex 21. cap. Exod. *Si rixati fuerint viri, & percuserit quis mulierem prægnantem, & abortiuum quidem fecerit, sed ipsa vixerit; subiacebit domo, quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri iudicauerit.* Euidenter colligitur homicidiũ, & peccare Medicum, qui exhibet remedium ad aborsum excitandum adhuc in primo conceptionis die, si mulier sit certa, & sufficientem (si est posibile) redat rationem de infallibilitate conceptionis, præcipuè si Fœtus vitam habeat, Exod. cap. 21. v. 22.

vt Cornelius, & quamuis fętura careat vita meō videri, si fiat aborsus ex intento est graue peccatum, vt tenet Lyra taxādum est delictum ad voluntatem eius, quia est proxima, vt vitam habeat. Et ita etiam si bonum aliquod videatur subsecuturum esse ex aborsu nullatenus est intētandus; quia non est faciendum malum (aborsus etenim secundum se est quid malum) vt inde proueniat bonum.

CAPVT LXIV.

De Partu.

EGIMVS primo de aborsu, qui partus quidam immaturus est. Nunc autem de partu naturali; qui quidem quædā ex vtero matura in lucem editio est. Offenditur namq; tam in illo, quam in isto vterus, ad cuius offensā irritata facultate expultrice pellit, quod in vtero est. Hinc enim euenit, quod dolores partus maiores sint, ad maioritatem causæ. In partu illegitimo, hoc est in aborsu (præcipuè antequam anima fætura informetur) non sunt ita vehementes dolores ac in partu naturali nouem mensium, in quo fœtus (cum quærat exitum instante cordis

flo-

flogosi, vt aerem ad ipsius refrigerium attrahere possit) manibus separat, pedibus calcitrat toto corpore impellit, violenter dislacerat, acriter dissoluit, & vsque lucem videat, & a carcere nouem mensium liberetur, ligamenta illa à natura fabricata (vocata Amnion, Corion, & Alantoydes) rumpit, vterumque vulnerat, ita vt ab omnibus Doctoribus dolores mortis nominentur, & mortem portarent, si plus durarent. Multoties à vehementia doloris parturientes resoluũtur vt ante fœtus exitum, vel post partũ moriantur. Hoc quidem etiam si experientia quotidiana, & ex quamplurimis Auctorum obseruationibus constet ex Genesis cap. 35. melius verificatur. Postquam locutus fuit Deus Iacob, & promisit futuras esse gentes nationes, & Reges ex eo nascituros, narrat sacra Pagina verba hæc. *Egressus autem inde euenit verno tempore ad terram, quæ ducit Ephratam, in qua cum parturiret Rachel ob difficultatem partus periclitari cœpit. Dixitque ei obstetrix: noli timere, quia & hunc habebis filium, & imminente iam morte vocauit nomen filij sui Benoi, id est, filius doloris mei; pater vero appellauit eum Beniamin, id est, filius dexteræ. Mortua est ergo Rachel.*

Genes. cap. 35. ve. 17.

Causam difficultatis partus Rachel, nec non

ipsius mortis ad nos in præsenti attinet inuestigare. Rachel namque iam pepererat filium; non enim potuit naturalis angustia vel clausura oris vteri causam fuisse (vt alijs parturientibus contingit) nisi forsan Benjamin intra vterum magnæ corporis structuræ constaret, ita vt locus, vel spatium respectu magnitudinis corporis esset angustiosum, vt inde intra vterum nisi cum difficultate circumvolueretur. Et hoc ex nullo cõstat capite. Existimo itaque causam talis difficultatis partus, & mortis Racheli fuisse vernum tempus. Non enim sinè causa refert Sacra Pagina quod venit verno tempore, in quo maximopere sanguis fluit. Si enim ex alia causa secuta fuisset partus difficultas, nec non mors Rachel frustra videretur id quod dicitur contigisse in dicto tempore. Aerem respiramus tepidum interna calefacientem viscera, externasq; cutaneas partes rarefacientem. Vnde resolutio insensibilis, quæ naturaliter a calore fit) & sudores vt Hipocrates, sudores multi vere fiunt in aphorismis docet) nam totũ aperitur, & rarefit corpus, vasa (venæ scilicet & arteriæ) ampliora redduntur. Quod in ipsis continetur, nempe sanguis fluxibilior redditur, & amplius extenditur, & totum corpus in veris tempore laxum redditur,

vt

vt rubor extremarum partium, manuum scilicet & pedum, nec nō vnguium testatur. Necessarium fuit (quamuis Beniamin fratres suos in corporis magnitudine non excederet) quod oscula venarum per quas sanguis in puerperijs fluit essent apertiora, similiter os vteri laxatum, & similiter sanguis tenuior intra venas lateret, ita vt Rachel ob dolorum vehementiam, ortam ex difficultate partus, & ex nimia apertione totius corporis ex aere ambiente vernali corriperetur, vel afficeretur fluxu nimio sanguinis, & quod ex ipso & dolorem vehementia inciperet periclitari: & cum sanguis post partum totus ad extra confluerent apertis nimis Cothilidonibus (quæ in ceruice vteri existunt, vt vnoquoque mense menstrua pellantur) fuit necesse, vt sine febre, vel incēdio, vel vteri inflammatione, imo potius resoluto corpore, sine sanguine fere, & spiritibus vitalibus, imo perfrigerato, mors cōtingeret Rachel.

Apud Esdræ 4. lib. 4. cap. 4. hæc sunt. *Vade interroga prægnantem, si quando impleuerit nouem menses suos, adhuc poterit matrix eius retinere partum in semetipsa?* Ac si diceret, quod partus nihil habet voluntarij: non enim instante partu est in voluntate matris partum retinere, etiam pro aliquo bre- 4 li. Esdræ cap. 4. ve. 41.

breui tempore. Hoc videtur experimento contrariari: nam parturientes in ipso partus actu, nõ solum vtuntur ad fœtus expulsionem instrumẽtis naturalibus, scilicet fibris ipsius vteri, sed etiã musculis abdominis & aliarum partium, quæ instrumenta sunt liberè operantia quod in expulsione excrementorum verificatur. Videtur enim posse prægnantem partum detinere, saltim pro aliquo tempore.

Respondemus verum esse musculis parturiẽtes ad partum adiuuari, non tamen ex hoc sequitur, quod fœtum in se retinere possit matrix: Nam partus quantum est ex se actus mere naturalis est. Experientia mihi compertum fuit in muliere quadam instante partu iam a doloribus afflicta commoto sanguine ex quadã animi passione perturbatam fuisse massam sanguinariam, & apoplexia forti perplessam. Hæc igitur veluti marmorea iacebat sine motu, & sensu, & ita insensilis erat, quod nec ligaturas fortes, nec lapidem ignitum pedibus appositum (pro intensa ipsorum pedum frigiditate) sentiret, & tãdem peperit filium, ad cuius gemitum vel mugitũ stantes accesserunt, & inter matris fæmora puerum inuenerunt; ipsa autem post tres dies (factis plurimis sanguinis ex talo extractionibus præter natu-

tu-

turalem purgationem) ad naturalem motum & sensationem, & tãdem ad pristinam salutem restituta fuit. Constat igitur euidenter, quod talis pariendi actus merè naturalis est, ac est naturale, quod arbores suo tempore fructus habeant. Si autem musculis parturientes adiuuantur in tali actu, est ad melius, citius, & perfectius. Nam natura vt à rebus nosciuis liberetur, omnia quę potest, apponit, & ita completo iam nouem mensium tempore, non potest matrix insemetipsa retinere partum, imo media facultate naturali expultrice conatur liberari a tot dolourm vehemẽtia, & ita in semetipsa ad expulsionem contrahitur.

Circa verba. *Si quando impleuerit nouem menses suos*, a natura ad partum statutos, non immoror. Nam Vallesius in sacra Philosophia cap. 83. circa verba illa lib. 2. Machab. cap. 7. *Fili mi miserere mei, quæ te in vtero nouem mensibus portaui, & lac triennio dedi.* Plurima docta, vt semper, & acuta docet. Nec non etiam Carrança Iurisperitus cũ Hippoc. lib. de legitimo partu affirmat.

Aliud nunc ex lib. Genesis offert se explicare cap. 38. (loquitur de Thamar) *instante autem partu aparuerunt gemini in vtero.* Notum erat quod Thamar esset prægnans, non autem quod ge- *Genes. 38. vers. 27.*

mi-

minos in vtero haberet, nisi quando instauit partus, in quo Obstetrix magis cum distinctione id videre potuit. Gemellorum generatio in fœcundissimis contingit, & quanto semina fœcundiora sunt (si quantitas sit sufficiens) natura multiplicat fœturas, frequenter ad duas, & rarò ad tres, quatuor, & quinque, vt ex Auctoribus constat scribentibus de multiplici partu, præcipuè Hippocrate, Galeno, Auicena, & alijs Medicinæ Principibus, Græcis, & Latinis, & ex Neotericis Pellicer & Carrāza, qui copiosè diuersas Authorū tradūt sētētias. Debet ergo multiplex partus fieri vnica eiaculatione, & vnico concubitu; quia aliàs esset superfętatio. Dubitatur in pręsenti, supposito, quod materia seminalis est vnica, & tota eiusdem rationis, & facultas generatiua est vnica & eadem, & vnicus ad conceptionem gemellorum & idem vterus, an facultas formatiua sit vnica vel multiplex, præcipuè quando Gemelli in accidentibus dissimilantur. Non immoror in inuestiganda quænam sit, & in quo consistat talis formatiua facultas, sitne eadem cum generatiua, vel cum naturali tractrice, vel sit facultas realiter distincta, quæ ad figuram terminatur tāquam proprium obiectum, & per ipsam specificatur. Neque immoror in inuestiganda ratione di-

diuersitatis gemellorum in sexu: nam cum partes in semine diuersæ sint spirituahores alijs, facile erit dicere, quod mas ex parte spirituosiori, & fæmina ex parte minus spirituosa generãtur, & quod ratione diuersitatis materierum facultas disponit organizationem pro masculino in hac materia, & pro ratione fæminei in altera. Sed dubitamus, quando gemini sunt masculini, vt in partu Thamar sacra refert Pagina, quare multoties dissimillantur, ita vt non esse fratres videantur? Ad quod dico, quod quando id contingit in seminali materia, etiam si tota est eiusdem rationis, & ab vnica facultate delineetur; debemus philosophare contrarium, ac quando gemelli similes sunt. Similes enim sunt in sexu, & accidentibus indiuidualibus, quia materia est totaliter similis. Ergo quando gemelli dissimillantur in accidentibus indiuidualibus causa erit, quia materia est in aliquibus partibus dissimilis, ita vt facies Petri dissimilletur in colore, vel in alio huiusmodi à facie Ioannis.

CAP.

CAPVT LXV.

De Monstris.

POSTQVAM Egimus de partu naturali, & præternaturali, scilicet de abortu, qui immaturus, vel ante tempus est, nunc de partu præternaturali, qui talis est non ex tempore, sed ex re in lucem orta, quæ præternaturam est, & Monstrum appellatur, agimus. In Monstruorum generatione læsa actio reperitur, & deprauata est, quia aliter generatur id quod debebat generari, siue sit in forma, figura vel quantitate. Nam quamuis verum sit, quod semen, & sanguis quibus generatio pro materiali tribuitur, non sint viuentes partes, ad hoc vt in ipsis sit morbus ratione cuius producatur synthoma. Tamen quia vitium existens in semine vel sanguine contractum fuit ab intemperie, vel vitio partis viuentis ipsius generantis, ideo Monstruorum generatio præternaturam est; quia à causa morbosa procedit, si non immediatè, saltem mediatè.

Cicero 2. de natura Deorum, Monstra nihil aliud significare dicit, quam prædictiones, &

præ-

præsentiones rerum futurarum ex quo illa ostẽta, Monstra, Portenta, & Prodigia dicũtur. *Vnde* Virgil. 3. Æned. *Horrendum, & dictu video mirabile Monstrum.* Et idem Poliphemum vnoculũ Mostrum horrẽdum ingens appellauit. In hac ergo significatione legimus in Sacris Literis Sapient. cap. 8. *Et si multitudinem sapientiæ desiderat quis: scit præterita, & de futuris æstimat, scit versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum, signa, & Monstra scit, antequam fiant, & euentus temporũ & sæculorum.* Nam vt tenet Lyra, qui scientiam increatam habent futura cognoscunt, vt ex Salomone constat.

Sapientiæ c. 8. vers. 4.

Similiter miranda miraculosa, & Monstra dicuntur illa, quæ præter naturæ ordinem fiunt. Sic enim opera Dei mirabilia in sacro Textu Monstra appellantur, vt Sapient. cap. 19. *Nam nubes castra eorum obumbrat, & ex aqua, quæ ante erat, terra arida aparuit, & in mari rubro via sine impedimento, & campus germinans de profundo nimio, per quem omnis Natio transiuit, quæ regebatur tua manu, videntes tua mirabilia, & Monstra.*

Sapientiæ c. 19 ve. 8.

Generatio Monstruorum non solum animalibus, sed plantis similiter conuenit, si enim difformes arbores sint in figura vel magnitudine, vel ipsarum fructibus, vel in numero, & sic de

cæ-

cœteris monstruosa appellantur. Homines etenim si aliter ac debebant delineari conformantur, vel pars aliqua, vel totum in quantitate excedat, alijsque naturaliter, & communiter contingunt monstruosa appellantur, vt si homines de statura Gigantea videremus monstruos esse homines teneremus, de quibus videtur loqui, cap. 13. Numer. *Terra quam lustrauimus deuorat habitatores suos populus, quem aspeximus proceræ staturæ est, ibi vidimus Monstra quædam filiorum Enach de genere Giganteo, quibus comparati quasi locustæ videbamur*. Omnes qui de Monstruorũ causis scripserunt, vt Aristot. 2. Phisicor. cap. 8. D. Thom. quæst. 16. de malo, art. 3. Galenus lib. de causis morborum, cap. 8. (agens de causis morborum in numero) & ex Recentioribus Petrus Garcia Carrero, lib. de locis affectis, disp. 73. cap. 2. generaliter arbitrantur ad vnam ex duabus causis reduci debere Monstruorum generationem, nẽpe virtutem generatiuam seminis, aliam verò materialẽ. Nam cũ actio his duobus indigeat, & nullo alio opus esse videatur, præsuppositis conditionibus necessarijs, vt est debita approximatio partium seminis, & alijs huiusmodi, quæ vt conditiones ad hanc possunt reduci videtur necessario, quod ad hæc duo reduci debet.

Numer. c. 13. v. 34.

Vn-

Vndè homines illi de genere giganteo Monstruosi erant,& ad vitium seminis in quantitate ipsorum conformatio est referenda, sicuti quãdo homines paruissimi nascũtur, Mõstruosiq; sunt (quos nostro Hispano sermone Enanos appellamus) ad vitium seminis in parua quantitate ipsorum generatio tribuitur: non enim ex pauca materia lineam ita longam potest natura protrahere, neque corpus secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatẽ magnum ex pauca seminali materia potest fabricare natura.

Alia sunt Monstra in spetie, vel figura (siue ab animalibus diuersæ speciei, siue eiusdẽ; nam vt Petrus Garcia citato loco tenet nõ implicat) quorum in Authoribus sunt sine numero exẽpla, quæ omnia ad errorem facultatis formatricis reducuntur. Videtur id colligi posse ex multis, quibus Deus optimus, & Maximus magnificauit Moysem, præcipuè quando Magis Pharaonis Monstra fingentibus illudit, vt ex Ecclesiastici c. 45. colligitur. *Similem illum fecit in gloria Sanctorum, & magnificauit eum in timore inimicorum, & in verbis suis Monstra placauit.* Lyra vult, quòd Monstra, quæ placauit, fuerunt plagæ Ægypti, quæ sine dubio fuerunt Mon- *Ecclesiast. c. 45. v. 3.*

 struosæ,

ſtruoſæ, & ceſſauerunt ad Moyſis orationem.

Poſſunt etiam Monſtra fieri imaginaria: nā ſicut concipit vterus, concipit mens, & ſicut cōcipit vterus ſecundum, vel præter naturam, cōcipit mens ſecundum vel præternaturam propter diſpoſitionem naturalem, vel morboſam ipſius cerebri, vt contingit ægrotantibus, præcipuè febricitantibus, quibus in ſuis pervigilijs, tum & in ſomnijs, talia phantaſmata repreſentantur, quæ multoties ægroto ipſo pauorē cauſant. De iſtis videtur intelligi poſſe locus Sapientiæ, cap. 17. *Illi autem qui impotentem verè noctem, & ab infimis, & ab altiſſimis infimis ſuperuenientem eundem ſomnum dormientes aliquando Mōſtruorum exagitabantur timore.* Lyra dicit, quod Ægyptij fuerunt in illo triduo aliquantulum ſomno oppreſsi, ſtatimque terribilia ſomnia patiebantur. Sunt enim Vigilijs, vel interdormiēdum ex infimis partibus vapores acres, & melancholici eleuati, qui ſua qualitate prima vel ſecunda, vel opacitate (vt tenent aliqui Medici) cerebrum valeant diſtemperare, ita vt ſolum imagines Monſtruoſæ phantaſiæ repreſententur.

Sapientiæ. c. 17. v. 15.

(∴)

CAP.

CAPVT LXVI.

De Fluxu ſanguinis muliebri.

NON Eſt intentum in præſenti agere de Fluxu ſanguinis vt cumque, ſecumdum quod homines, & cætera animalia poſſũt ipſo affici, ſiue per nares, vomitũ, hemorroidas, vrinã, vẽtrẽ, mammas; oculos, vel alias partes, quarum evacuationũ ſunt plura apud Authores, ſed de Fluxu ſanguinis, qui mulieribus contingit facta aliqua laborioſa violentia aliquam ponderoſam molem mouentibus, ita vt ligamenta quibus vterus dorſo alligatur laxentur, debilitenturq; & oſculoſa venarum ſcilicet cothilidonũ ipſius vteri aliquantulũ aperiãtur: vel ita venæ raræ fiant, vt ad modũ ſudoris confluere ſanguis poſsit, vel vt plurimis contingit poſt partũ propter maximã ipſius violentiam. Debilitantur enim vterus, & renes, & apti fiunt vt humiditates ex toto coaceruatæ per vterũ ad inſtar menſtrui pellantur. Quã evacuationẽ ſeminalẽ fluxum appellamus. Legimus itaq; apud Leuiticum, c. 15. *Si cum muliere coierit vir tẽpore ſanguinis menſtrualis immundus erit ſeptem diebus, & omne ſtratũ, in quo dormierit polluetur. Mulierq;* Leuitic ca 15 v. r. 2.

patitur multis diebus Fluxum sanguinis non in tempore menstruali, vel quæ post menstruum sanguinem fluere non cessit, quandiu subiacet huic passioni, immunda erit quasi in tempore menstruo. Apud Diuũ Matthæum, cap. 9. legimus sanasse Iesum mulierem quandam, quæ sanguinis Fluxu laborabat. *Et ecce mulier, quæ sanguinis Fluxum patiebatur duodecim annis. Accessit retro. Et tetigit fimbriam vestimenti eius. Dicebat enim intra se, si tantum tetigero fimbriam vestimenti eius, salua ero. At Iesus conuersus, & videns eam dixit: confide filia, fides tua saluam te fecit, & salua facta est mulier ex illa hora.* Addit Diuus Marcus c. 5. *& fuerat multum perpessa à complurimis Medicis, & erogauerat omnia sua: Nec quidquam profecerat, sed magis deterius habebat.* Et Diuus Lucas idem narrat in 7. His enim circunstantijs docet Maldonatus nõ solum inueteratum, sed etiam incurabilem fuisse morbũ, vt magis miraculũ appareat. Multi, & inter illos Chrisostomus, hom. 32 & Theophilactus in Commentarijs existimãt talẽ mulierẽ turpi laborasse morbo, scilicet gonorrea (de qua c. sequenti) quæ idẽ est, quod fluxus seminis, & honestiori vocabulo, Fluxus sanguinis appellatur, & ideo, vel pudore, vel humilitate accessit retro, vt Optatus lib. 5. cõtra Parmẽ., & Ambros. li. de Salomone, c. 5.

Matth. c 9. ve. 20

Marc. ca. 5. ve. 26.

Cer-

Certum est, quod evacuatio sanguinis ex ventri venis vnoquoque mense est naturalis; quia nisi deueniat mulier ad ætatem, in qua incipit hepar infrigidari, & consequenter generat quantitatem sanguinis pro corporis indigẽtia, vel nutritione maiorem, & excessiuam quam par est, vnde euenit, quod vnoquoque mense, quod residuum est, vt excrementitium natura pellat, & si id non fiat in dispositionem morbificam euenire necessarium est; quia detinetur, quod detinendum non est. Si autem id fiat, & immodice contingat, similiter morbificè fit, quod Hipprocrates aphor. 58. sect. 5. docet. Et si id non immodicè fiat quantum ad quantitatem, sed ad tempus (durat aliquibus mulieribus naturaliter singulis mensibus vsque ad octauum vel decimum diem ad summum) taliter vt illa quantitas, quæ in paucis diebus pelli debebat, totum occupet mensem, & etiam est præter naturam, & sanguinis fluxus appellatur, quia significat contionem esse causam intra venas irritantem, ita vt propter aliquam obstructionem non profluat tota quantitas, nisi in toto percollata mense. At cum fluor relatus à Sacris Scriptoribus sit duodecim annorum, videtur coniecturabile, quod excessus nõ solum

erat in tempore, sed in quantitate; ita vt vires prosterneret, & in periculum mortis (aliquãdo) ob magnum aliquem confluxum conduceret, & ita cum mulier vehementi pro salute desiderio afficeretur: nam iam omnia, quæ à Medicis conciliari poterant, facta erant, ita vt sine spe remedij nisi à supernaturali Medico, cui omnia subijciuntur; esset accessit magna fide, & sana facta fuit. Miraculose sanata fuit mulier à naturalibus remedijs sanari non potuit, existimandum igitur est, quod talis sanguinis euacuatio erat toto genere præternaturam; quia non solum excrementitium quod iuuenili ætate redundare potest euacuabatur, sed vtile cum excrementitio permixtum; ita vt vires languescerent, quia sanguis spirituosus confluceret. Erat vlterius toto genere præternaturam: nam coniecturam facio, quod talis mulier erat ætatis adultæ, ita vt pro ætate menstrua habere non peteret (non enim est discessus à naturali statu tantus in illis, quæ pro ætate menses habere petunt si fluxum sanguinis habeant, ac in illis, quę iam adhuc pro bona valetudine menstrua habere non petunt, quæ si non senescunt; vicinæ senectuti in vltima cõsistentis ætatis parte sunt) arguebat enim magnam causam, non solum ex

parte intemperiei calidæ ipsorum renium immoderate attrahentium caloreque nimio sanguinem liquante, facultatemque expultricem vteri continuo irritantem, tum & retentricem debilem efficientem, ita vt nisi miraculose sanari (sicuti sanata fuit) possibile naturaliter videretur.

CAPVT LXVII.

De Gonorrea.

APVD Leuiticum, cap. 22. habemus: *Homo de semine Aaron qui fuerit leprosus, aut patiens fluxum seminis, non vescetur de his, quæ sanctificata sunt mihi donec sanetur.* Non est difficile causam fluxus seminalis inquirere, alio nomine Gonorrea: nam cum testes sunt, quibus seminis generatio debetur ipsorum esse vitium, siue semen peccet in quantitate, siue in qualitate est existimandum. Vitium est solum in quantitate, quando testes intemperie calida affecti attrahunt plus sanguinis, quam necessarium est, ipsumque particulari actione seminandi (sicuti mammæ lac conficiendi, & hepar sanguificandi) in substantiam quandam albam, *Leuitic. c. 22. vers. 4*

ſpumoſam,& ſpirituoſam conuertunt, & cum quantitate irritet facultatem expultricem, neceſſarium eſt vt excrementitium pellatur, vt quid redundans,& quãtitate offendens. Peccat ſemen in qualitate,quando exnimia quantitate non ita benè expurgata incipit putrefieri, & purulentiam aliquam adquirere, vel ob luem Gallicam ex venereo contactu contractam,teſtes, & cœteræ partes generationi dicatę afficiuntur,ita vt ſemen propter malam à tota ſubſtantia qualitatem inutile reddatur ad generationem,& ipſoſmet teſtes infeſtat, & facultates irritat,Vlcera que cauſat,pruritus,& dolores partibus,quas pertingit. Talis enim Gonorrea ab aliquibus vocatur virulenta,ab alijs purulenta, quia puris qualitates attingit, vel quia virus illud à tota ſubſtantia offendi. Priuatur homo patiens fluxum ſeminis, vt de his,quæ ſanctificata ſunt,non veſceretur, & cõiecturam facio, quod quamuis talis fluxus ſeminis quamcũque Gonorreę ſpeciem comprehendit,tamen videtur intelligendus talis ſeminis fluxus de ſemine immundo putrefacto, vel lue Gallica affecto, quam de ſemine,quod in quantitate ſolum peccat:nam talis excretio,quamuis ex parte rei excretæ eſt præternaturalis,quia eſt quid vtile; ta-

men quia excedens in quantitate est excrementitium, & omnia excrementa, si intra corpus detineantur offendunt, & valde nocent, est naturalis talis seminis fluxus, vel excretio.

CAPVT LXVIII.

De Hernia.

SIGNANTVR Affectiones in cap. 21. Leuitici, propter quas homo priuabatur, vt Domino offerret panes, & inter ipsas Hernia adnumeratur. *Si Hirniosus.* Hernia fit, quando peritoneum vasis seminarij pervium est, aut laxatur, aut etiam rumpitur, ita vt aliquid in inguine vel scroto descendat. A latinis ramex vel Hernia, à Barbaris ruptura, & à Grecis cele dicitur. Huiusnamque quędam sunt differentiæ, quæ vel à loco, vel à materia tumorē efficiente desumuntur, cum humor est in inguine dicitur bubo cele; si in scroto ocheocele; si fiat ab aqua dicitur hydrocele; si à flatu pneumathocele; si fit caro sarcocele; si fit varix circocele; si quod descendit intestinum sit interocele dicitur. Si tandem Hernia ab homento tāquam ex materia fiat appellatur epiplocele.

Leuitic. c. 21. ve. 20.

Hanc

HancHerniã non admittit Vallesius, 2. epidem. sect. 1. comment. 10. deceptus à Vesalio anothomico, qui homentum vsque ad pubem nõ posse descendere scribit. Existimo namque, quod illud verbum, *si Herniosus* omnes cõprehendit species dictas. Hernia enim nomem cõmune est dictas continens differentias, & ita quicumque aliquam ex dictis differentijs haberet, non poterat Domino panes offerre.

CAPVT LXIX.

De Hemorroidibus, & Ragadijs.

Deuter. c. 28. ve. 27.

APVD Deuteron. cap. 28. ita legimus, *Percutiat te Dominus vlcere Ægypti, & partem corporis, per quam stercora egeruntur, ita vt curari nequeas.* In hoc sacro Textu tres sunt partes. In prima est vlcus Ægypti, de quo cap. proprio de vlceribus vexicarum turgentium actum est. In secunda percutitur pars corporis, per quam stercora egeruntur. Ac si diceret, percutiat te infirmitatibus anni, puta Hemorroidibus, & similibus morbis, vt Cornelius à Lapide. Et in tertia de læsione illius partis, ita vt curari nequeat, agitur. De his duabus in præsenti

ſenti eſt agendum, & declarabitur, qualis fuerit affectio, & vltimo cur curari nequeat.

Vt in cognitionem affectionis deueniamus, illius ſcilicet partis per quam ſtercora egeruntur. Prius aduertendum eſt, quod in tali inferna alui parte venarum extremitates reperiuntur, craſum terreſtrem, & melancholicum ſanguinem continentium, Rondoletius Altomarius, & alij exiſtimant per partem exteriorem inteſtini recti deſeminari aliquas venas exiguas à caua ortas, & per internam partem venas maiores ex vena portæ procedentes. Vnde colligunt Hemorroides venas eſſe ramos venæ cauæ, & venæ portæ, & ità fieri evacuationem humoris ex toto corpore, iecore, & venis cōtēti, per venas exteriores inteſtini, quæ à caua procedūnt, & evacuationem melancholiæ ex liene per venas internas. Sicuti enim infimum ventrem ad depoſitionem excrementorum ex prima reſultantium coctione natura fabricauit. Ita exiſtimamus illarum oſcula venarū in hominis commoditatem, illic terminari, & per tēporū intervalla (non in omnibus, ſed in aliquibus vnoquoque menſe, & alijs frequētius, prout vrget neceſsitas) aperiri, vt ſanguis ille fæculentus fluat, & hominē à morbis aliquibus liberet.

beret. Veruntamen contingit multoties, quod venarum oscula sint clausa, vel quod sanguis præmultitudine, vel crassitie non possit fluere, & tunc coaceruatur, & detinetur. Et cum pars illa sit ex illis, quæ minus ventilantur, alteratur sanguis, partesque illæ inflammantur, & in tumores præternaturam eleuantur. Cum autem sanguis ille sit melancholicus, & propter frigiditatem, & siccitatem naturalem putredini resistat, & ob crassitiem resolutioni in causa est, vt tumorositates tales diu durent multoque tẽpore hominem acribus, & vehementibus doloribus affligant. Contingit similiter suppurari exulcerarique partem, & diuersas fieri exulcerationes cum paruis tumorositatibus ad modũ berrucarum prauum fœtidumque pus continẽtes prauos, & terribiles causantes dolores & tunc tales vlcerationes, & inflammationes, siue sanguis fluat vel pus, siue non fluat sanguis & pus Hemorroidæ appellantur à vocabulo Hemorrois, quod nihil aliud significat quàm sanguinis evacuationem: ac proinde per quamcũque partem sanguinis evacuationes fiant, si nominis vim consideramus Hemorroides dici poterunt. Consueuerunt tamen veteres Medici fluores sanguinis per venas ani tantum Hemo-

morroides; appellari; quia per has venas solet frequenter sanguis præternaturam excerni, & ideo existimo Gallenum, lib. 6. Hepidem. part. 5. comment. 25. Hemorroides appellari sanguifluas venas, etiam si multoties sint cœcæ, & aliquando reclusæ,

De Ragadijs agit Celsus tetrabili 2. cap. 128. vlcera quædam sunt ani ex humoribus acribus, & mordacibus facta, vnde qui tali passione afficiuntur in quotidianis excrementorum depositionibus plurimis doloribus affliguntur.

Et quamuis pars per quam stercora expellũtur possit affici omni genere morborum, tam in soluta vnitate, intemperie, & compositione, siue vt pars organica, siue vt similaris consideretur, sicut cæteræ omnes fere corporis partes. Tamen quia affectiones proprissimæ, & quibus frequentius vexantur, & opprimuntur humana corpora in tali tam necessaria actione, ac est expulsio fæcalium extrementorum sunt Hæmorroidæ, & Ragadiæ: ideo in præsenti de Hæmorroidibus, & Ragadijs egimus; quia coniecturam facimus sacrum Textum de istis, quàm de alijs affectionibus posse intelligi.

Similiter poterit aliquis philosophari circa sacra relata verba. *Percutiat te Dominus partem cer-*

corporis per quam stercora egeruntur, ita vt curari nequeas. Posse intelligi de resolutione, siue Paralysi Sphinteris. Sphinter musculus quidam est deseruiens, pro libero hominis arbitrio ad retinenda excrementa, quod scilicet pars per quā excrementa pelluntur, clauditur, & pro voluntate (præcedente irritatione) aperitur, vt exeat excrementum. Talis autem musculus si sensu, & motu priuetur, paralysique afficiatur excrementa (suo naturali pondere deorsum cadētia, præcipuè in homine, qui animal erectum est) inuoluntariè pelluntur. Hæc igitur ægritudo difficilis curationis est, sicuti cæterarum partiū paralysi affectarum, & turpis, inormis, fætida, & incurabilis est, ita vt qui ipsa afficiuntur propter inuoluntarium excrementorum exitum, fætoremque repentinum, & irremediabilem nō pósunt cum alijs sociari hominibus. Vnde si aliquis dixisset (quod quia morbus est talis partis, & difficilis curationis, ita vt curari nequeat) est de qua loquitur sacra pagina diccedere à ratione nullo dicam modo.

CAP.

CAPVT LXX.

De Podagra.

POST Affectiones pertinentes ad corporis cauitates agimus de illis quę ad corporis stremitates pertinent, & primò de Podagra, quæ inter ipsas primatum videtur optinere in lib. 2. Paralipomenõ, cap. 16. hæc sunt. *Ægrotauit etiam Asa anno trigesimo nono Regni sui dolore pedum vehementissimo, & nec in infirmitate sua quæsiuit Dominum, sed magis in Medicorum arte confissus est. Dormiuitque cum Patribus suis, & mortuus est anno quadragesimo primo Regni sui, & sepelierunt eum in sepulchro suo, quod foderat sibi in ciuitate Dauid, posueruntque eum super lectum plenum aromatibus, & vnguentis meretricijs.* *lib. 2. Parali. c. 16. v. 12.*

Titulis huius capitis est de Podagra, quam Hispano sermone vocamus *Gota*. Nam etiam si loco allato nõ de Podagra, sed de pedum dolore facta fuerit mentio; quia dolor quid genericum est videtur specificare affectionis formalitatem per illam particulam *pedum*. Cum autẽ Podagra pedum dolor sit, videtur quod talis facer locus de affectione Podagrica est intelligen-

gendus, quod etiam cōfirmatur ex dolore pedum diuturnitate duorum ſcilicet annorum, quæ cōfluxio diuturna propria ipſius Podagrę, eſt, præcipuè in illis, qui cibo, & potu, & alijs rebus non naturalibus non bene vtuntur; quia ex harum rerum immoderatione humores prałui augentur, & ad extremitates confluunt.

Hoc enim ex natura Podagræ cōſtabit. Podagra igitur ſecundum maiorem Medicorum opinionem fluxio humoris eſt ad pedes, ſicuti quando ad manuum iuncturas Chyragra, cum ad Schiam, Schias, & cum ad omnes articulos, vel ſaltem ad plurimos Attritis. Hi etenim dolores genere conueniunt, & tantummodo loco differunt. Ipſe enim humor, qui ad pedes confluit, & Podagram cauſat: ſi ad manus flueret, Chiragram, & ſi ad Schiam, Schiadem, & ſi ad articulos Attritidem cauſaret. *V*nde euenit quod tales dolores ſunt hæreditarij: nam (ſiue illam opinionem teneamus, quæ ſemen ex omnibus corporis partibus diffundi exiſtimant, ſiue tantummodo a teſtibus) certum eſt, & nemini eſt dubium, quod iuncturæ, & extremitates corporis patientis tales dolores contractam habent debilitatem magnam, & quotidie afluxione, qua vexantur amplius, & amplius debilitan-

litantur, & ita filios quos generant contrahunt similē in iuncturis, & extremitatibus debilitatem, quæ dispositio est, vt redūdante humore, vel pecante in qualitate ad extremas, & debiles partes natura transmittat, vt liberæ maneant internæ, pręcipuè principales.

Podagra igitur synthoma est a tumore prȩternaturam proueniēs facto ab humore fluxo, & in parte inpacto, quiquidem vt experimento est compertum potest esse sanguis, & cognoscitur ex rubore partis affectæ, & magna ipsius eleuatione, & mediocri dolore, & pituita potesti defficere, & cognoscitur ex albicante colore, & inundatione partis, facta compressione, & parui doloris. Pituita enim, cum frigida, & humidam sit, etiā si a calore liquetur, vt fluat nunquam mordacitatem accipit, quia ab humiditate obtunditur, nisi cum alijs humoribus calidis permisceatur. Potest similiter Podraga a bile (quę calida & sicca est) causari, & cognoscitur ex parua partis eleuatione, ita vt superficiales siue cutaneas potius quam internas occupet magno ardore, & vehementi dolore pedū. Non minus a melancholia id ipsum effici potest, & cognoscitur a colore cetrino partis, & vehementissimis doloribus in interno pedum,

& duratione magna dierum,& noctium,mensium,& annorum. Hoc autem prouenit ex frigiditate & ſiccitate humoris, craſitie, & ponderoſitate. Indiget etenim ſemel fluxo humore melancholico ad pedem magna caloris naturalis copia, vt reſoluatur,in vaporemque cõuertatur. Cum enim pedes natura ſua ſint partes parum carnoſæ,& ex quamplurimis neruis, tendonibus,oſsibus , & ligamentis componantur , quæ omnes natura ſua ſunt frigidæ, & ex alia parte ſint a corde diſtantiores,vt poſsint influxum caloris vitalis recipere , hinc fit vt Podagra , quę ex humore melancholico cauſatur tardius cæteris alijs ab humoribus alijs prouenientibus ſanetur.

Rex ergo Aſa cum per duos annos integros pedum doloribus affligeretur , ſcilicet a trigeſimo nono vſque ad quadrageſimum primum ſui Regni ; exiſtimo, quod talis dolor fuit Podagricus, & ab humore melãcholico cauſatus, vt ex rationibus allatis conſtat, & ſumpta indicatione a vehementiſsimis doloribus, a magnaque ipſorum duratione vſquequo ipſum reſoluerent , & interficerent , & aromatibus , & vnguentis meretricijs ad prohibendum (forſan) illius corporis fœtorem, non ſolum Podagrica

af-

affectione ab humore dicto causata, sed alie Gallica affectus, mortuusque meo videri fuit.

CAPVT LXXI.

De Fractura.

HÆC vox Fractura proprijssime, ad corporis sustentacula, quæ ossa sunt, pertinere videtur. In Sacris Litteris bis inuenio factam fuisse mentionem ipsius cap. 24. Leuitici, loquens Moyses cum filijs Israel dicit: *Qui blasfemauerit nomen Domini morte morietur. Qui percusserit, & occiderit hominem morte morietur. Qui percusserit animal reddet vicarium, idest, animã pro anima.* Et deinceps, *Fracturã pro Fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente.* Hoc est, vt si frangatur alteri pes, vel manus, eidem frangatur pes vel manus, vt Cornelius à Lapide. Et cap. 30. Hieremiæ Prophetæ (loquens ad gentes, siue ad populos, quos cõuertere conatur dicit) *Castigabo te in iudicio, vt nõ videaris tibi innoxius, quia hæc dicit Dominus: insanabilis Fractura tua pessima plaga tua.* Hoc enim loco & si videatur non loqui propriè de Fractura ossis humani, ratione tamen illius particulæ, scilicet, insanabi-

Leuit. ca. 21. v. 20.

Hieron. c. 30. v. 12.

lis, videtur quodammodo de corpore posse intelligi, quod obiectum salutis vel morbi est, ita vt sicuti dantur fracturæ sanabiles reperiantur similiter ossium fracturæ insanabiles.

Pro ratione horum locorum duo videntur perquirenda esse. Primum est, quid sit fractura, & secundum, quæ nam est fractura ossis, quæ ex sua natura insanabilis est. Ossis igitur fractura nihil aliud est, secundum Galenum lib. 5. Methodi cap. 5. quàm solutio cõtinuitatis in osse, & secundum Paulum diuisio vel fractio est in osse facta à causa violenta extrinseca. Alij definiunt fracturam penes ossis diuisionem absque cutis vel carnis inscisione: nam si vulnus reperiatur, nõ fractura (ab aliquibus) sed vlcus ossis appellatur. Inter diuisiones fracturarum, quæ desumuntur ex generali diuisione simplicium, & compositarum quędam est, quę in sanabilẽ, & in insanabilem fracturã compartitur. Fractura sanabilis est, quæ in osse paruo contingit, vel parui vsus, vel parua est, vt si os digiti frangeretur est parui vsus, vel si os cruris longitudinaliter (est illarum quę facilius curatur) frangeretur. Hæ enim fracturæ sanabiles sunt, & ferè nunquam praua subsequntur accidentia. Insanabilis fractura illa erit, quæ ob principalitatẽ

partis accidentia praua subsequuntur, vt in cranei fractura, in qua sanguis supra cerebri meninges solet percolari, & putrefit, & inflammationem causat, phrenitidem, & tandem mortem, vel ita est magna, etiam si non sit in parte principali, sed in brachio, vel crure, vt transuersaliter fiat, vel in minimas partes os confrangatur, vel circulariter diuidatur. Talis enim fractura insanabilis est; quia Chirurgus difficilè potest partes vel portiones diuersas accommodare, vt porus sarcoydes inter vnam, & alteram partem generetur, & bene induretur ad firmã valetudinem, & firmum vsum.

CAPVT LXXII.

De Claudicatione.

CAP. 32. Genesis hæc dicuntur de Iacob. *Ortusque est ei Sol postquam transgressus est Phanael. Ipse verò claudicabat pede*, & deinceps. *Eo quod tetigerit neruum fæmoris eius, & obstupuerit.* Multi sunt Auctores existimantes quod causa Claudicationis Iacob fuit luxatio ossis fæmoris ex vehementi rixa, vel lucta cum *Genes. cap. 32. vers. 31.*

An-

Angelo. *Verumtamen* si Textus literam attendimus videbimus non esse necessarium, quod vt Claudicaret Iacob os fæmoris à suo naturali situ, & nexu exiret, sed tantum quod tetigirit neruum eius fæmoris, & obstupuerit.

Dubitari poterit hic, an obstupuerit vero stupore, vt Claudicaret, an vero ex aliquo magno ictu fieret aliqua contusio neruorum, ita vt Claudicaret. Stupor enim diminutus sensus, & motus est partis, & Synthoma in actione diminuta facultatis animalis sensitiuæ, & motiuę, & ab alijs torpor appellatur. Nenimi est dubiũ, quod qui hac sũt affecti affectione in cruribus vt moueantur, vel ambulent Claudicant; quia cum pars sit priuata in fluxu necessario ad motum, & sensum membrum respectu facultatis redditur ponderosius, & ita pondus aliquam infert molestiam facultati, & sic ad motum quemlibet consumit temporis maius spatium mẽbrum infirmum quã sanum, nisi apponantur conatus, & tunc poterit contingere, quod æquali tempore fiat motus. Verum hic loquitur de motu naturali; qui enim conatu fit etiam si ex parte principij scilicet facultatis est secundum naturam, ex parte tamen inconsuetę aduertentiæ ad actum mouendi est præternatu-

ram.

ram. Vnde vt experimento est compertum pes, vel crus necessario debet Claudicare. Existimo ergo quod Iacob in sua Claudicatione nullatenus fuit affectus vero stupore. Constat, quod stupor principiũ paralysis est, & inter affectus neruorum a causa frigida procedentes ab omnibus censetur Medicis, siue sit pituita, quæ frigida, & humida est, lenta, & Crassa, siue humor melãcholicus, qui frigidus, & siccus est, crassus, & ponderosus. Ipsi etenim humores suis primis qualitatibus sensum & motum à primo sensorio, scilicet, cerebro, tum, & secundis impediunt (siue communicetur media illustratione, siue medijs spiritibus animalibus.) Vnde priuatæ cum sint partes inobedientes, vel ineptæ redduntur ad motum: nam omne quod in musculo reperitur (qui pars elicitiua est motus voluntarij) passiuè se habet. Cum ergo nulla præcesserit causa, vt inde possimus cõiecturare imbibitum fuisse in neruo humorem aliquem frigidum ex dictis; existimandum est non fuisse Iacob vero affectum stupore, imo cum nimius motus, nimiaque exercitatio sint causæ per accidens caloris potius debuit calefieri, quàm infrigidari pars. Imo si frigidus fuisset in parte humor calore ex lucta causato, dissolui esset necessa-


sa-



ſariurn. Sentio ergo quod potuit obſtupeſieri neruus fæmoris ex aliquo magno ictu: Contũduntur enim muſculi, & nerui, ita vt non ſit poſſibile quod mẽbrum moueatur; ſanguis enim, & ſpiritus ad partem percuſam confluunt, & ipſam dolore affligunt, ita vt non poſsit nõ homo claudicare. Huic ſententiæ inclinatur Cornelius. Sentio ſimiliter, quod Iacob tractu tẽporis (ſiue medicamentis vteretur ad partem corroborandam, ſiue id ſolum ad naturam relinqueret) ſanari à Claudicatione fuit poſsibile, ad quod nulla videtur naturalis repugnantia.

Hæc omnia quæ dicta ſunt ad laudem Omnipotentis Dei Optimi, & Maximi rerũ omnium authoris, & totius naturæ principij, & cauſæ (vellẽ vt ſcripta potius ſint in ipſius gloriam, quam in mei nominis celebritatem) ſint, nec non etiam Sãctiſsimæ, & Immaculatæ ſemper *Virginis*, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſub cuius correctione, & doctiſsimorum virorum cenſura me ſubmitto, & ſubijcio.

(:§:)



FINIS.

ELENCHVS.

Capitum quibus tota Pathologia comprehenditur.

SYLLABVS,
Auctorum, qui in Pathologia, Citantur, Commendantur, & Emendantur.

A

B

Be-

H

Divus Hieronymus Ecclesiæ Doctor.

Hieronymus Mercurialis Medicus.

Hermes Trimegister Philosophus Naturalis.

Hipocrates Medicorum Princeps.

Higinus Astronomus.

I

Divus Ioannes Chrysostomus Græcorum Patrum Lumen.

Ioannes Lorinus Theologus.

Ioannes Maldonatus Theologus.

Ioannes Gallego de la Serna Protho-Medicus Generalis.

Ioannes Fragoso Chirurgus.

Ioannes Fernelius Medicus.

Ioannes Argenterius Medicus.

Ioannes Monardus Medicus.

Ioannes Rosinus Antiquarius, & Criticus.

Ioannes Patricius Politicus.

Iosephus Hebræus Historicus.

Dom Iosephus Pellicer Historiographus Maior Regis Catolici.

L

Lucanus Historico Poeta.

Ludovicus Mercado Medicus Cubicularius Regius.

M.

Massarius Medicus.

N.

Nicolaus de Lyra Theologus.
Nltholus Florentinus Medicus.

O.

Origenes Theologus Magnus.
Oribasius Medicus.
Oratius Flaccus Poeta.
Ovidius Nasso Pocta.

P.

Paschalius Medicus.
Paulus Ægineta Medicus.
Paulus Medicus.
Petrus Garcia Carrero Medicus Cubicularius Regius.
Philo Iudæus Historicus.
Plinius Historicus Naturalis.
Pereirus Medicus.

R.

Rasis Medicus Arabs.

S.

Seneca Philosophus Antiquus, Cordubæ Honor.
Septuaginta Interpretes.
Symmachus.


Di-

T

Divus Thomas de Aquino Ecclesiæ Doctor.
Trallianus Medicus *Antiquus.*

V

Vatablus Scripturarius.
Virgilius Maro *Poetarum* Princeps.
Varrus.
Vallesius Complutensis Regis Cubicularius.
Vexaranus Medicus.



INDEX RERVM TOTIVS PATHOLOGIÆ.

A

B

C

E

cor-

F

Mi-

H

I

L.

Ma-

M

N

quo

Q

R

Ste-

Ta-

T

V

tas

FINIS.


Laboratorio
Restauro
Pandimiglio
ROMA